



213.



## Disputatio XVII.

DE MODIS AMITTENDI FEVDVM.

QVAM,

*Deo clementer adiuuante,*

PRÆSIDE

CLARISSIMO ET  
 CONSULTISSIMO VIRO,  
 DOMINO HENRICO BOCERO, V. I.  
 DOCTORE ET ANTECESSORE, IN TV-  
 bingenſi, Academia celebratiſſimo, præceptore ſuo  
 honorando,

ORDINARI EXERCITII

*cauſa, hora locoq; conſuetis, diſcutiendam  
 proponit*

M. MICHAEL BERINGER  
 Vlbacheniſis, Hebrææ linguæ  
 Profeſſor.



TVBINGÆ,

Excusit Georgius Gruppenbachius.

ANNO M. DC.

bbb

*[Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page]*



I.

# Disputatio XVII.

DE MODIS AMITTEN-  
di feudum.

## THESIS I.

**D**E ADQVIRENDO FEVDO, ET FEV-  
di adquisiti commodo hactenus differuimus: Nunc or-  
dinis instituti ratio postulat, vt de amittendo feudo a-  
gamus.

II.

Amittitur feudum vel ex parte Vasalli, vel ex parte domini.

*Tit. 26. §. Domino committente feloniam, & tit. 47. lib. 2. feud.*

III.

Ex parte Vasalli amittitur feudum vel culpa Vasalli, vel citra eius  
culpam.

IV.

Culpa Vasalli feudum amitti dicitur, si quaedam grauis offensio  
per Vasallum domino allata sit, ex qua eius in dominum ingratitude  
egregia conuincatur.

*Tit. 23. in prin. vers. De illa tamen. ibi, egregia ingratitude cause, Tit.  
24. §. prater ea, §. Item si delator, & §. Denique, vers. Si vero. Tit. 31. §. 1. &  
§. 2. Tit. 55. §. Illud quoque precipimus. lib. 2. feudor.*

V.

Eiusmodi autem offensio est, à qua fidelitatis forma Vasallum  
abstinere iubet.

*Tit. 5. 6. & 7. lib. 2. feud.*

VI.

Et licet culpa in alterius, quam domini persona committatur,  
attamen vt ea etiam domini offensione contineatur necessum erit;  
quippe cum feudum ob culpam Vasalli non nisi ex ingratitude in  
dominum amittatur.

*Tit. 23. in prin. vers. Si quis enim, & vers. seq. lib. 2. feud.*

bbb 2

Isthac



## VII.

Isthæc autem culpa, qua Vasallus feudum amittit, vel in committendo consistit, vel in omittendo.

*Tit. 17. ibi, vel similes culpas commiserit, lib. 1. feud. Tit. 24. §. Denique, ibi, quid graue commiserit, item ibi, vel aliud graue crimen commiserit, lib. 2. feud. tit. 5. in princ. vers. 1. ibi, in pralio dimiserit, tit. 17. ibi. seniores in bello dimiserint, tit. 21. in fine, ibi, in pugna suum dominum dimiserit, & cum eo non laborauerit, lib. 1. feud. & tit. 24. §. Item qui dominum, & §. seq. lib. 2. feudor.*

## VIII.

Est autem culpa in committendo consistens quædam indecens machinatio, & facinus inhonestum, quo dominus grauiter offenditur.

*Tit. 57. & tit. 51. §. si voluerit, lib. 2. feud.*

## IX.

Eaq; vel in dominum ipsum committitur, vel in alium.  
*d. tit. 24. §. Denique saepe, & tit. 37. lib. eod. feud.*

## X.

In dominum ipsum quæ committitur, culpa à Vasallo, ea vel in persona ipsiusmet domini, aut eius, qui potestati affectuiuè domini subiectus est, vel in rebus domini committitur.

*dict. tit. 6. & 7. lib. 2. feud.*

## XI.

In ipsiusmet domini persona Vasallus varijs modis culpam committit, ex eaque feudum amittit. Et primò quidem si necem domino armis aut veneno adferat, aut adferre labore, vel eum vulneret, pulsetuè, aut vulnerare, pulsareuè insidias ei clandestinas aut manifestas struendo, aut assiliendo intendat.

*Dict. tit. 6. vers. Incolume, tit. 7. vers. Ego iuro, ibi, quod tu amittas vitam, & membrum aliquod, dict. tit. 24. §. Porro si dominum, tit. 51. §. si voluerit, tit. 57. lib. 2. feudor. tit. 5. §. Similiter si dominum, & tit. 17. ibi, si scienter seniores assilierint, lib. 1. feud.*

## XII.

Committit item in ipsiusmet domini persona Vasallus culpam, si castrum siue vicum domini, vel alienum, sciens ibi dominum esse, obsideat, & oppugnet.

*Tit. 5.*

Tit. 5. §. *similiter si dominum, lib. 1. feud. & tit. 24. §. porro, ibi, vel vicum, in quo est, per vim aggressus fuerit, lib. 2. feud.*

## XIII.

Similiter in ipsiusmet domini persona Vasallus culpam committit, si verbis grauem & inhonestam iniuriam domino ingerat.

*Dict. tit. 6. vers. Honestum, & tit. 7. vers. Ego iuro, ibi, vel iniuriam vel contumeliam, vel quod amittas aliquem honorem, tit. 24. §. porro si dominum, ibi, vel graues, vel inhonestas iniurias intulerit, lib. 2. feud.*

## XIV.

Adhuc in ipsiusmet domini persona culpam Vasallus committit si delator domini extiterit, per quam delationem graue dispendium ipse dominus sustineat.

*Dict. tit. 24. §. Item si delator, lib. 2. feud. Quo loco delator non est accusator, ut vulgò existimant, sed ut Sonsbeck rectè sentit parte 12. num. 46. delator ibi est, qui fisci praefecto nunciat, dominum suum aliquid possidere, quod in fiscum ceciderit, per tex. in Nouel. 115. cap. 3. §. Si delator, ex quo loco transcriptus est d. tit. 24. §. Item si delator, lib. 2. feud.*

## XV.

Si tamen Vasallus suam suorumq; iniuriam exequatur, ob hoc feudum suum non amittit.

*arg. l. Hi tamen 11. ff. de accusat. l. 1. §. Interdictum hoc, 42. vers. aliter atq; si vi armata. ff. de vi & vi armat.*

## XVI.

Si item Vasallus de crimine læsæ maiestatis dominum accuset, feudum non amittit.

*arg. l. Famosi 7. §. servi quoque. ff. ad leg. Iul. maiestat. Nouel. 115. cap. 3. §. si eos in criminalibus.*

## XVII.

Quod si etiam Vasallus abolitione impetrata deseruerit accusationem, feudum non amittit, si quidem is tantum accusare dicatur, qui crimina obijcit, & causam perorari vsq; ad sententiam efficit, non etiam qui ante iusta ex causa quiescit.

*l. Qui cum maior 14. §. accusasse, autem ff. de bonis libertor.*

## XVIII.

Sed magni est momenti quaestio isthæc, possitnè Vasallus maxime de vero crimine accusare dominum suum? Et licet id affirment

Q V A R T Æ C L A S S I S

gl. Aluarot. & alij (a) attamen negant Dyn. (b) Curt. iun. (c) & Sonsbeck (d), quibus omninò subscribendum putamus. (e)

a) ad dict. tit. 24. §. Item si delator, lib. 2. feud. per l. ita vulneratus 51. §. Quod si quis, ff. ad leg. Aquil. & l. eum qui nocentem, 18. in princ. ff. de iniur. (b) ad l. Qui cum maior, 14. ff. de bonis libertor. (c) Tractat. de feud. par. 4. n. 62. (d) par. 12. n. 47. (e) per tex. in tit. 33. §. Similiter lib. 2. feud. què locū de accusatione domini, qui verè quodam in crimine haret, accipiendū esse constat, tum quia nemini licet temerè innocentem accusare, toto titul. ff. ad Senatusconsultū Turpill. tum quia nec servus dominum suum de vero accusare crimine impunè potest, l. servum, 6. & l. vlt. §. seruo autem, C. de delator. libr. 10 tum etiam quia potestas accusandi denegata est quibusdam non ob innocentiam reorum, sed propter personarum qualitatem, & conditionem aliam, l. 4. l. Qui accusare 8. cum legibus seqq. ff. de accusat. tum item quòd filius nec de verò crimine patrem accusare potest, Nouell. 115. cap. 3. §. 3. Si eos in criminalibus, tum postremò, quòd Vasallus, licet delator domini extiterit, vbi verè quid possidet dominus, ad fiscum quod pertinet, feudo tamen ob hoc priuatur, tit. 24. §. Item si delator. lib. 2. feud.

XIX.

Quæritur & illud, an feudum amittat Vasallus, si dominum in causa accusauerit leui? Nobis Sonsbeckij (a) affirmata sententia non displicet, (b) licet gl. Aluarot. (c) Curt. (d) & Schrader. (e) aliter sentiant. (f)

a) Part. 12. num. 47. (b) per text. in dict. tit. 33. §. Similiter Vasallus, libr. 2. feud. vnde argumentum à testimonij dictione ad accusationē hardè. pte petimus, siquidē dictio testimonij fiat coactè, accusatio verò sponte. (c) ad tit. 24. §. Item si delator, lib. 2. feud. (d) Tract. de feud. part. 4. nu. 65. (e) Tract. feud. part. 9. c. 8. nu. 5. vers. sextò hoc fallit.

XX.

Quin etiam amittit Vasallus suum feudum, si accusatori saltem in iudicio adfuerit, aut pro eo fideiussor extiterit.

Arg. text. in l. post legatum, 5. §. sunt qui putant, ff. de his, que vt indig. & d. l. qui cum maior, 14. §. Sed si non accusauerit, ff. de bonis libertor.

XXI.

Præterea in ipsiusmet domini persona Vasallus culpam committit, proindeq; feudum perdit, si contra dominum in causa ciuili modica, vel criminali testimonium dicat.

Tit. 33. §. similiter, lib. 2. feud. Cuiac. tamen ad tit. 36. libr. 4. feud. & Equinat.



guinar. Baro lib. 3. de beneficijs, cap. 3. pag. 373. in princ. & ad tit. 33. §. Similiter, libr. 2. feudor. tradunt in civili causa magna contra dominum non licere Vasallo testimonium dicere; in modica autem civili licere.

## XXII.

Quòd si tamen Vasallus planè renuat testimonium contra dominum dicere, Iudex autem non admissa eius excusatione inuitum & reluctantem ad testimonij dictionem cogat, feudum non amittit.

Per text. in l. non videntur data 167. §. 1. ff. de reg. iur. & sentiunt ita Aluarot. ad tit. 24. §. Item si delator, num. 4. lib. 2. feud. Zas. in Epit. feud. part. 10. num. 49. Sonsbeck. dict. part. 12. numer. 68. & Ioan. Borcholt de feud. cap. 8. num. 128.

## XXIII.

Neq; amittit feudum Vasallus, si in causa feudali contra dominum suum testimonium dicat.

Potest enim Vasallus contra dominum in hac causa testis esse, tit. 2. in prin. vers. Si enim domino adhuc, tit. 32. & tit. seq. §. Quod autem dictum est, libr. 2. feudor.

## XXIV.

Adhæc in ipsius domini persona Vasallus culpam committit, si contra eum famosa quadam actione civili experiatur, proindeq; ob id feudo priuatur.

Per text. in tit. 22. vers. Curia autem, ibi, salua reuerentia, & tit. seq. vers. Quomodo enim, libr. 2. feud. Facit huc textus in tit. 33. §. Similiter, libr. eod. quodq; causa criminali similis est causa civilis famosa, l. 1. ff. de his, qui notantur infam. Confert eodem, quòd nec libertus aduersus patronum famosam actionem civilem mouere potest, l. non debet, 11. §. 1. ff. de dolo malo, l. 4. §. aduersus parentes, ff. de doli mali & metus except. Accedit autoritas Dd. quos collegit Rosenthal, in synopsi iuris feud. cap. 10. conclus. 32. sub lit. e.

## XXV.

Quod si etiam atroci aliqua, & reali iniuria Vasallus sit affectus à domino, contra ipsum impunè experiri etiam directò potest civili famosa actione.

Per text. in l. 1. §. Interdictum hoc, 43. vers. Meliusq; erit, ff. de vi & vi armat. l. Hi tamen, 11. §. 1. ff. de accusat. VVesenbec. Tractat. de feud. cap. 10. num. 25. in fin.

Quæri.

CLASSIS QUARTÆ

XXVI.

Quæritur de interdicto unde vi, si hoc Vasallus in dominum egerit, an suum ex eo feudum amittat? Et placet nobis Dd. conclusio, qua communiter illud affirmant.

arg. l. 1. §. Interdictum hoc. ff. de vi & vi armat. 4. l. non debet 11. §. 1. ff. de dolo malo, l. 4. §. aduersus parentes. ff. de doli mali & metus except. l. 2. ff. de obsequijs parent. & patr. prest. Zas. in epit. feud. part. XI. num. 23. & seq. Molin. ad consuetud. Paris. tit. 1. §. 1. gl. 4. num. 35. Menoch. de recuperanda process. Remedio. 1. num. 96. VVesenbec. tractat. de feud. cap. X. num. 15. Dissentiunt Iacobin. de S. Georg. in Tractat. de feud. ad verb. Et dicti Vasalli, nu. 7. pag. 97. Ioan. Borcholt de feud. cap. 9. num. 18. Rosenthal cap. 10. conclus. 32. & Vult. de feud. cap. XI. num. 27. pag. 730. vers. Quod de causa criminali, vide quoq. Mynsing. cent. 4. obseruat. 91. & consil. 21. quest. 1. sub tomo 3. varior. consil. Iuriconsultor. Germania, vbi volunt, quod Vasallus interdictum unde vi contra dominum mouere possit: qua sententia probari videtur hoc ipso, quod interdictum unde vi, famosum esse negatur in l. neque unde vi 13. ff. de vi & vi armat. Item hoc argumento, quod Vasallus primo sit lasus ab ipso domino per vim eius, vt idcirco agrè ferre nõ debeat dominus, si hoc interdicto conueniatur.

XXVII.

Si tamen vim armatam dominus intulerit Vasallo, poterit hic aduersus illum interdicto unde vi iure experiri.

arg. l. 1. §. Interdictum hoc. ff. de vi & vi armat. Molin. ad consuetud. Paris. tit. 1. §. 1. gl. 4. num. 42. Menoch. de recuper. poss. Remed. 1. nu. 98. & VVesenbec. Tractat. de feud. cap. X. num. 15.

XXVIII.

Sin vis fuerit inermis, subsidiaria in factum actione conuenire dominum Vasallus potest ad recuperandam possessionem suam.

Per l. non debet 11. in fin. ff. de dolo malo. l. 5. in fin. C. eod. tit. l. 4. §. aduersus parentes. ff. de doli mali, & metus except. Menoch. dict. Remed. 1. num. 98. & VVesenbec. dict. cap. X. num. 15.

XXIX.

Sed an culpam committat, & feudi amissione dignus sit Vasallus, si in causa criminali contra dominum iudicet, hoc loco, quæri potest? Nobis affirmata sententia veritati consona videtur.

Per text. in tit. 33. §. similit. r Vasallus, libr. 2. feud. Aluarot. ad tit. 24. §. Item si delator, col. 4. libr. 2. feud. obstat quod filius in causa patris iudex esse potest, l. in priuatis 77. ff. de iudic.

Præter-

## XXX.

Præterea in ipsiusmet domini persona committit Vasallus culpam; ob eamque feudum amittit, si in perniciem domini cum hoste alijsque inimicis ipsius amicitiam contrahat.

*Text. in tit. 57. lib. 2. feud. facit & hucl. liberi 29. vers. Si tamen mater. C. de inoffic. testam. & l. 1. §. cum patronus, in fin. ff. de offic. præfecti vrbi. & scribit post alios Schrader. part. 9. cap. 5. num. 23. & seqq.*

## XXXI.

Sed vtrum in dubio præsumatur Vasallus in domini offensio- nem & perniciem sese aggregasse ad amicitiam hostis, aut alterius ini- mici domini sui, an verò huius rei probatio incumbat domino, Dd. disceptant. Posterius nobis probatur.

*Est enim amicitia res per se honesta. l. lata culpæ 223. §. 1. ff. de verb. sig. vnde ad facta turpia se non extendit, l. filius 15. ff. de condit. institut. Huic ar- gumento accedit auctoritas Iacobini de S. Georg. Tractat. de feud. in verb. Dicitque Vasalli promiserunt non committere, num. 14. aliorumque, quos ci- tunt Roland. à Valle consil. 1. num. 87. volum. 3. Schrader. dict. cap. 5. num. 30. Rosenthal cap. 10. conclus. 27. Vultei. libr. 1. cap. 11. num. 29. in fin. Dissentit Matth. de Afflic. ad tit. 24. §. porro si dominum, numer. 21. Zas. in Epit. feud. part. 10. num. 32. Socin. Iun. consil. 134. num. 36. lib. 3. Menoch. consil. 102. num. 11. & 12. lib. 1.*

## XXXII.

Adhæc, in ipsiusmet domini persona Vasallus culpam commit- tit, ob eamque feudum amittit, si credentiam domini, id est arcanum fidei suæ commissum ad eius damnum malitiosè manifestauerit.

*Tit. 17. lib. 1. feud. tit. 5. ibi. nec id quod mihi & c. tit. 6. vers. Tutum, tit. 7. ibi, & si aliquid mihi, & c. lib. 2. feud.*

## XXXIII.

Duo itaque coniunctim requiruntur, vt ex hac causa feudum Vasallus amittat I. Malitia, siue dolus Vasalli. II. Propositum in feren- di domino damnum. (a) Nonnulli (b) addunt tertium, vt scilicet da- mnum sit secutum: quod tamen requisitum non agnoscimus. (c)

*a) Per text. ad præcedentem thesin adscriptos. & tradit gl. ad dict. tit. 17. in verb. scienter, lib. 1. feud. (b) Aluarot. ad dict. tit. 17. Zas. part. 10. num. 34. Sonsbeck. part. 12. numer. 62. Rosenthal. in Synopsi iur. feud. cap. X. conclus. 60. t. Tum quia feudorum placita duntaxat prædita duorequirunt. Tum quia Vasallus, quando secreta domini revelat, non simplex delictum, sed et- iam periurium committit. Tum quia iure communi in maleficijs voluntas si-*

Q V A R T Æ C L A S S I S

ue propositum delinquendi factò quodam declaratum, non exitus spectatur, l. Divus 14. ff. ad leg. Cornel. de Sicar. l. Quoniam multa 6. C. ad leg. Cornel. de vi pub. l. Qui iniuria 53. ff. de furtis, & c. pro humani, §. fin. tit. de homicid. in 6. Tum postremò, quia ipsum damnum, quod Vasallus intulit domino, per se causa est amittendi feudum, huic causa opposita in tit. 6. vers. utile, & titul. 24. §. Item si delator, & tit. 33. §. Similiter Vasallus, lib. 2. feud.

X X X I V.

Deniq; in ipsiusmet domini persona culpam committit Vasallus, proindeq; feudo multatur, si feudum vel eius partem, aut feudi conditionem, id est, seruitium sciens dolo malo inficietur, & abneget, (a) in iudicio, vel extra iudicium (b).

a) Tit. 26. §. Vasallus si feudum, & §. Vasallus feudum, & tit. 34. §. vlt. lib. 2. feud. (b) Sunt enim adducti textus generales, & sentit ita Cuiac. libr. 3. feudor. ad tit. 5.

X X X V.

Quæritur autem, an Vasallus feudo suo priuetur, si domino feudum esse affirmanti, dubitanter responderit, Nescio? Et iure feudorum negatiua probatur.

Tit. 26. §. Vasallus feudum, & tit. 34. §. vlt. lib. 2. feud.

X X X V I.

Quòd si Vasallus partem duntaxat feudi abnegauerit, ne poena excedat delictu (a), non toto multatur feudo, sed eius tantum parte (b).

a) Contra l. rescriptum 6. vbi Bart. & alij, ff. de his, quæ vt indig. & l. Sanctimus 22. C. de poenis. (b) post alios Molin. ad consuetud. Paris. tit. 1. §. 30. nu. 6. Cuiac. ad d. tit. 5. lib. 3. feud.

X X X V I I.

Quid verò si Vasallus instrumentum feudale abneget, nunquid ob id feudo priuatur? Schraderus quidem ita sentit (a), verum sententia contraria probabilior videtur (b).

a) Tract. feud. part. 9. cap. 6. num. 23. & seq. (b) per text. in tit. 26. §. Vasallus si feudum, ibi, aut si aliam rem domini celauerit Vasallus, feudum tamen non amittit, lib. 2. feud. & facit huc, quòd in poenalibus extensio regulariter licita non est, Euerhard. in Topic. in loco à ratione legis larga ad extensionem ipsius legis.

X X X V I I I.

De culpa, quæ in ipsiusmet domini persona committitur, ha-  
tenuſ

Et enus differuimus : Sequitur de ea modò culpa , quæ committitur in dominum , in persona eius , qui domini potestati affectu inuè subiectus est.

## XXXIX.

Huiusmodi culpa est , si Vasallus dominum cucurbitauerit , id est , stuprum domini vxori , aut filie , aut nepti ex filio , aut nurui , aut sorori , in domo , id est , familia eius adhuc in capillo manenti sciens obtulerit.

*Tit. 5. §. Item si fidelis , tit. 21. §. vlt. vers. vel si concubuerit , libr. 1. feud. tit. 24. §. Rursus si domini , tit. 38. vers. Et ideo , & tit. 57. ibi , vel si eum cucurbitauerit , lib. 2. feud.*

## XL.

Quin etiam si Vasallus saltem conatus fuerit stupro maculare vxorem domini , feudum suum amittit.

*Tit. 5. §. Item si fundus , libr. 1. feudor. facit l. Diuus 14. ff. ad leg. Cornel. de Sicar. l. Qui iniuria 53. ff. de furtis.*

## XLI.

Similiter si Vasallus turpiter saltè luserit cum vxore domini , vt si in eius sinum , vel ad mammas manum suam posuerit.

*Dict. tit. 5. §. Item si fidelis , & ibi gl. & Hotoman. lib. 1. feud. Cuiac. ad tit. 2. lib. eod. Sonsbeck , part. 12. num. 24.*

## XLII.

Quid verò si Vasallus vxorem domini deosculetur , aut amplexetur , nunquid ex eo feudum amittit ? Certè amittit feudum , si turpe , impudicum , & luxuriosum fuerit osculum , vel amplexus eiusmodi.

*Dict. tit. 5. §. Item si fidelis , ibi , cum ea turpiter luserit , lib. 1. feud.*

## XLIII.

Præsumitur autem eiusmodi osculum , & amplexus talis , si fiat secretò , modò populi consuetudo non ferat , vt mas ad alienæ fœminæ osculum , vel amplexum veniat.

*Post alios Frider. Schenck Baro ad. d. tit. 5. §. Item si fidelis , num. 2. libr. 1. feud. & Sonsbeck part. 12. num. 26.*

## XLIV.

Similiter feudum suum amittit Vasallus , si literas amatorias ad vxorem sui domini miserit , aut munusculorum illecebris pudicitiam

dicitiam eius sollicitauerit, alijsq; strophis ad expugnandam pudicitiam illius vsus fuerit.

*Arg. d. tit. 5. §. Item si fidelis, vbi Fridericus Schenck Baro, lib. 1. feud.*

## X L V.

Sed anceps quæstio est, an ex eo quoque Vasallus feudum suum perdat, quod se exercuerit saltē, vt cum domini filia, aut nepte ex filio aut nuru, aut sorore concumberet? Alij negant (a), alij affirmant (b): atq; horum sententię subscribendum putamus. (c)

a) *Bald. & Frid. Schenck Baro ad dict. tit. 5. §. Item si fidelis, lib. 2. feud.*

(b) *Martin. Laudens. & Iacob de Beluiso, vers. Quæro si Vasallus, ad dict. §. Item si fidelis, & Curt. iunior Tractat. de feudor. part. 4. nu. 25. vers. Secunda cadit dubitatio, pag. 341. C. per text. in tit. 6. vers. Honestum, & tit. seq. §. pen. in fin. ibi, ad tuam vel tuorum iniuriam, vel contumeliam, lib. 2. feud. iunct. text. l. Item apud 15. §. Si quis virgines, & §. appellare, ff. de iniur. & facit text. in l. 1. in prin. ff. de extraord. criminib. l. Si quis 5. C. de Episcop. & cler. l. vn. C. Si quacung; prædict. potest. iunct. l. 1. §. Itē aut per semetipsum, & §. pen. & vlt. l. 5. §. Illud, & dict. l. Item apud 15. §. sponsum, & l. eum qui, 28. §. vlt. ff. de iniur. Accedit huc, quod conditio & clausula præcedens assumitur etiam ad communionem eorum, quæ sequuntur, eaq; determinat æqualiter, si his etiā congruere videatur, l. cum pater 77. §. cum imperfecta, ff. de legat. 2. Quin etiam præcedens clausula potentior & fortior est, vt sequentia determinet, quam è contral. Quisquis 95. vbi gl. ff. de legat. 3. l. Filiumfam. 27. in prin. ff. Quando dies legat. ced. Bart. ad l. Auia. 77. in princ. vers. Item oppono. ff. de condit. & demonstrat. Tiraquell. de retract. ligneg. §. 1. gl. 14. num. 25. & seq. Menoch. lib. 2. de arbitr. iud. casu. 64. num. 19. & seq. & lib. 1. de præsumpt. part. 1. præsumpt. 28. num. 28. & seq.*

## X L V I.

Est & illud quæstionis dubię, vtrum Vasallus, qui posteaquam se exercuit, vt concumberet cū vxore domini, sua sponte pœnitentia ductus ab incœpto destitit, feudum amittat, necne? Et licet Hottomannus id affirmet (a) glossa autem (b) & Iacob. de Ardiz, (c) negent, nobis tamen distinctio Curtij (d) & Friderici Schenckij Baronis (e) placitis feudorum (f) consona videtur, quæ hæc est, quòd Vasallus vel se exercuerit, vt concumberet, sed expœnitentia ad actum non peruenit, vel non tantum se exercuit, vt concumberet, sed & ipsum ad actum peruenit, id est, sollicitauit mulierem ad concubitum, postea verò

ea verò sua sponte à conamine improbo destitit; hunc feudum amittere aiunt, illum verò non item.

a) Ad tit. 51. §. Si voluerit Vasallus, lib. 2. feud. per l. Qui ea mente 65. ff. de furt. l. pen. ff. vi bonor. rapt. & l. Quid sit 17. ff. de adilit. edict. (b) Ad dict. tit. 5. §. Item si fidelis, in verb. exercuerit, lib. 1. feud. C. in Epit. iur. feud. cap. 85. Gloſſa & Ardizon. ſententia ſuffragari videtur text. in l. Qui falſam 19. ff. ad leg. Cornel. de falſ. l. Papin. 8. §. Meminiſſe ff. de inoffic. teſtem. l. Qui autem maior. 14. §. Accuſaſſe autem, ff. de bonis, qua liber. & l. Item apud 15. §. ſi curauerit quis ff. de iniur. (d) Tractat. de feud. part. 4. num. 25. (e) Ad dict. tit. 5. §. Item ſi fidelis, num. 2. lib. 1. feud. (f) per text. in tit. 51. §. ſi voluerit Vaſallus, ibi. ſi laborauerit, non amittit feudum, niſi inſidiatus ei fuerit, lib. 2. feud.

## XLVII.

Quòd ſi autem Vaſallus, qui exercuit ſe, vt concumberet cum vxore domini, vel alijs affectui eius ſubiectis foeminis, non ſua ſponte, pœnitentia ſcilicet ductus, ſed impedimento aliquo interueniente à concubitu abſtinuerit, feudum ſuum amittit.

Dict. tit. 8. §. Item ſi fidelis, & ibi gl. in verb. Exercuerit, lib. 1. feud. Iacob. de Ardiſ. in Epit. iur. feud. cap. 85. & Curt. Iun. dict. part. 4. num. 25.

## XLVIII.

Quid verò ſi à foemina feudum quis poſſideat, nunquid amittit feudum illud, ſi cum filia, aut nuru dominæ concubuerit, vel de concubitu eam ſollicitauerit? decreta feudorum affirmant.

Tit. 24. §. Rurſus ſi domini, vel domina, lib. 2. feud.

## XLIX.

Si tamen cum ſore ſux dominæ concubuerit, aut de concubitu eam ſollicitauerit Vaſallus, feudi ſui iacturam facere mihi non videtur, ſi ipſa domina coniunx fuerit.

Tum quia ob iniuriam ſorori illatam, ſoror actione iniuriarum experiri non poteſt. Menoch. lib. 2. de arbitr. iudic. caſu 262. num. 4. Tum quia ſoror hæc in domo, id eſt, familia cum ipſa ſore domina ampliùs non eſt, vt quæ per nuptias in mariti familiam peruenit. Tum quia ſoror domina hæc nihil diſtare meritò debet à domina nepte ex eius filia, cum qua ſi Vaſallus concubuerit, feudo non priuatur, eò quod in domo, id eſt, familia domina non eſt, d. tit. 5. §. Item ſi fidelis, ibi, cum nepte ex filio, lib. 1. feud.

## L.

Non ſolùm autem Vaſallus feudo ſuo exuitur, ſi iuſta fuerit vxor domini

domini, sed & si iniusta sit, cui se immiscuit, aut immiscere laborauit (a), nisi ratione sanguinis sit iniusta vxor (b).

a) Per l. si vxor 13. §. 1. ff. ad leg. Iul. de adulter. Afflict. ad dict. tit. 5. §. 1. num. 23. libr. 1. feud. (b). Cum hac enim adulterium non committitur l. si vxor 13. §. Sed et si ea. ff. ad leg. Iul. de adulter. proindeq; nec feudum amittit Vasallus, si cum huiusmodi vxore concubuerit, aut concubere tentauerit, Vult. lib. 1. de feud. cap. 11. nu. 31. pag. 738.

## L I.

Similiter feudum suum amittit Vasallus, si sponfam domini stuprauerit.

Tum quia stuprum sponse illatum iure mariti sponsus vindicare potest. l. si vxor 13. §. Diui. ff. ad leg. Iul. de adulter. l. propter 7. C. dict. t. Cuiac. libr. 6. obseruat. cap. 16. & libr. 20. cap. 16. Petr. Faber libr. 3. coniectur. cap. 6. Tum etiam quia iniuria sponse illata etiam ad sponsi contumeliam spectat, l. Item apud 15. §. sponsum quoque, ff. de iniur. His accedit autoritas Dd. quos citat & sequitur Schrader. Tractat. feud. part. 9. cap. 2. num. 12. & seq. & Eg. Baro lib. 3. de benefic. cap. 3.

## L II.

Quæritur de matre domini, si eam Vasallus stupro maculauerit, an feudo suo multetur? Sonsbeckius (a), & Eg. Baro (b) negant, pleriq; verò affirmant (c), quorum sententiæ subscribere nihil dubitamus (d).

a) In comment. in vsus feud. cap. 12. num. 19. (b). lib. 3. de benefic. cap. 3. (c) Quos citat & sequitur Schrader. dict. part. 9. cap. 2. nu. 16. (d). Tum quia filij dignitas in matrem quoque deriuatur, Nouell. 105. cap. 2. in princ. & l. vlt. §. fin. C. de priuileg. Scholar. libr. 12. Tum per text. in tit. 7. §. pen. in fin. ibi, ad tuam vel tuorum iniuriam, vel contumeliam, libr. 2. feud. Tum quia Vasallus feudo exuitur, si domini stupret sororem, quæ est in capillo, tit. 5. §. Item si fidelis, libr. 1. feud. & tit. 24. §. Rursus domini, libr. 2. feud. multò magis ergò vel æquè feudo multatur, si vitiet domini matrem, siquidem frater faciliùs exheredare possit sororem suam, quàm filius matrem, vt patet ex collatione textus Nouell. 22. cap. 46. §. vlt. & cap. 47. cum textu in Nouell. 115. cap. 4. & mater non minùs sit in domo, id est, familia domini, quàm soror eius, quæ adhuc est in capillo.

## L III.

Non solùm autem Vasallus feudo suo priuatur, si cuiusdam ex prædictis



dictis personis nolenti & inuitæ vitium obtulerit, sed & si volenti id fecerit.

*Per l. 1. §. vsque adeo, & l. si quis seruum 26. ff. de iniur. Et sentiunt ita Dd. communiter, quos citat Schrader. dict. part. 9. cap. 2. num. 19. & Vult. libr. 1. de feud. cap. 11. nu. 31. pag. 747. vers. ceterum.*

## LIV.

Sed in quæstionem vocatur, priuetur ne Vasallus suo feudo, si carnaliter cognoscat domini uxorem, vel filiam, vel neptem ex filia, vel nurum, vel sororem, quæ in capillo est, vel sponsam, vel matrem, si publica sit meretrix, & palàm corpore turpem quæstum faciat? Et licet Dd. communiter id affirmant, (a), propugnari tamen negata sententia posse videtur. (b)

a) *Andr. de Isern. & Matth. de Afflict. num. 10. ad dict. tit. 5. §. Item si fidelis, lib. 1. feud. Curt. Iun. Tractat. de feud. part. 4. num. 23. Schrader. part. 9. cap. 2. num. 19. Henr. à Rosenthal in Synopsi iuris feud. cap. 10. conclus. 57. & Vult. libr. 1. de feud. cap. 11. num. 31. pag. 747. (b). Tum quia in meretrice neq. adulterij, neque stupri crimen committitur l. si ea. 22. l. Quæ adulterium 29. C. ad leg. Iul. de adulter. Tum quia scorto qui se miscet, neque ipsi iniuriam infert, l. Itē apud 15. §. Si quis virgines, vers. Multo magis, si meretricea veste. ff. de iniur. neq. eius maritū iniuriā onerat, aut patrem, aut filium, aut fratrem, siquidem cum meretrice veneream coniunctionem qui habet, contumelie causa id non faciat, proindeq. nec iniuriam cuiquam inferat. l. 3. §. pen. l. iniuriarum 13. §. si quis de honoribus, & §. qua iure potestatis, & l. quod Reipub. 34. ff. de iniur. l. Item quaritur 13. §. Item Iulianus, ff. locati. Quod pertinet, quod voluntas & propositum delinquentis malificia distinguit, l. Qui iniuria. 53. in princ. ff. de furtis, Et iniuria ex affectu facientis consistit. l. 3. §. 1. ff. de iniur. confert etiam l. verum 39. ff. de furtis.*

## LV.

Est & illa non parum controuersa quæstio, an feudum suū amittat Vasallus, si domini viduam stuprari? Plerique interpretes iuris feudorum id affirmant (a), aliqui verò negant (b), quibus nostrum addere calculum non recusamus (c)

a) *Clar. libr. 4. sentent. §. feudum, quest. 48. & in §. stuprum, num. 8. Schrad. Tractat. feud. part. 9. cap. 2. num. 5. & seqq. Henric. à Rosenthal in Synopsi iuris feud. cap. 10. conclus. 55. (b). Bald. ad tit. 21. §. vlt. num. 4. lib. 1. feud. Sonsbeck part. 12. num. 16. Schenck Baro ad tit. 5. §. Item si fidelis, num. 1.*

num. 1. lib. 1. feud. Eguin. Baro lib. 3. de beneficijs. c. 3. & Carol. Molin. ad consuetud. Paris. tit. 1. §. 30. num. 143. (C) per rext. in d. tit. 21. §. vlt. ibi, vel si concubuerit cum vxore domini sui domino aiuente, lib. 1. feud.

## L V I.

Si tamen Vasallus intra luctus tempore viduam domini vitiet, dignus est amissione feudi.

Tum quia vidua, qua intra luctus tempus alium veneris causa marem admittit suspicionē de se mouet adulterij viuo marito cum altero illo mare commisti, Nouell. 39. c. 2. §. Sed quia hac, vers. Si enim illas, Tum quia mas, qui intra luctus tempus cum vidua concumbit, occasionem prabet turbando sanguini defuncti mariti, l. liberorum, 11. §. iiii. fin. ff. de his, qui not. infam. His argumentis addimus autoritatem Rolandi à Valle consil. 86. num. 40. & 47. vol. 2. Molin. ad consuetud. Paris. tit. 1. §. 30. num. 143. & Ioan. Borcholt. in comment. in consuetud. feud. cap. 8. num. 97.

## L V I I.

Est & illa quæstio elegans, an feudo suo priuetur Vasallus, si cum domini concubina rem habuerit? Et licet affirmata conclusio suos hat magni nominis patronos, attamen sententia negata nobis veritati propior videtur.

Tum quia vir in concubina sua adulterium iure mariti vindicare non potest, l. si vxor 13. §. Si quis vxorem, vers. Quod & in concubina, ff. ad leg. Iul. de adulter. Tum quia licet furti actionē in vxorem mouere maritus non possit, contra concubinam tamen ea actione consistere potest, l. si concubina 17. in princ. ff. rer. amot. Tum etiam quia in pœnalibus iuris extensio licita non est, vt supra ostendimus, Tum postremò, quia concubinatus prohibitus est iure diuino, 1. Corinth. cap. 5. & 7. Item iure canonico, c. concubina, & c. seq. & c. seq. 32. quæst. 2. c. Nemo. c. dicat aliquis, c. meretrice, & c. seq. 32. quæst. 4. tum etiam Nouell. Leonis 91. Accedit insuper ad probandam hanc sententiam autoritas Martini Laudens. ad tit. 5. §. 1. lib. 1. feud. Ferrar. in aurea practic. libellor. in forma libelli, quo agitur ad reuocationem feudi, ad verb. nec superstitionibus, num. 17. Molin. ad consuetud. Paris. tit. 1. §. 30. num. 140. & Vultei. lib. 1. de feud. cap. XI. num. 31. pag. 137. Caterùm contrariam opinionem iuuare viderur l. Item legato 49. §. parui autē, ff. de legat. 3. l. venationes 31. in princ. ff. de donat. & l. probrum 41. §. 1. ff. de iniur. l. libro memorabilium 144. ff. de verb. sig. Tum maximè tex. in Nouell. 115. c. 3. ibi. Si nouerca sua aut concubina patri iunct. textu in tit. 24. §. prædictis modis, lib. 2. feud. Patronos huius opinionis memorat, & sequitur Schrad. dict. part. 9. cap. 2. num. 15.

Supe-

## LVIII.

Superiori quæstioni proxima videtur illa, an suum Vasallus feudum amittat, si dominæ suæ, à qua feudum possidet, pedissequam stupro cognouerit? Et licet Dd. id communiter negent, (a) affirmatæ tamen sententiæ adhærere nihil dubitamus. (b)

a) *Andr. de Iser. ad tit. 5. §. 1. lib. 1. feud. Curt. iun. de feud. part. 4. num. 22. Sonsbeck. dict. part. 12. num. 22. Frid. Schenck Baro, ad tit. 5. §. Item si fidelis, nu. 1. lib. 1. feud.* (b) Tum quia honestatis causa pedissequæ habentur, Vasallus autem nihil contra domini aut dominæ honestatem agere potest, tit. 6. vers. *Honestum, iunct. vers. Sed quia non sufficit, lib. 2. feudor.* Tum quia Vasallus abstinere tenetur etiam ab iniuria & contumelia eorum, qui domini saltem affectui sunt subiecti, tit. 7. §. *pen. in fin. libr. 2. feud.* Tum quia iure communi iniuria afficit dominam, qui eius pedissequam affectatur, aut illius pudicitiam attentat, l. *Item apud 15. §. Tenetur etiam, & §. seq. & §. Meminisse, ff. de iniur.* Tum postremò quia Vasallus priuatur suo feudo etiam ob alias causas similes his, quæ nominatim in feudorum iure sunt expressæ, tit. 24. §. *Sed quia natura, lib. 2. feud.* Sed Vasallus non minus iniuria onerat dominam suam, si eius pedissequam stupret, vt iam ostensum est, quàm si inferat stuprum filie eius.

## LIX.

Haftenus de culpa Vasalli, quam comisit in persona ipsiusmet domini, tum etiam in persona eius, qui potestati affectuiuè domini subiectus est: Sequitur modò de culpa Vasalli, quam in domini rebus committit. Eiusmodi culpa est, primò si Vasallus domino suo damnum dederit in munitionibus, alijsuè possessionibus eius.

*Tit. 6. vers. Tutum, & vers. utile, & tit. 7. vers. Et si contigerit, lib. 2. feud. iunct. tit. 21. in prin. lib. 1. feudor. ex quo loco intelligimus, quòd Vasallus feudum suum amittit ex omni culpa, à qua fidelitatis forma eum abstinere iubet. Sed obstare videtur text. in tit. 24. §. Sed quia natura, vers. Nam & saepe deierat, lib. 2. feud.*

## LX.

Vnde si domini sui arcem, castrum, vicum, aut ciuitatem oppugnet Vasallus, feudo suo priuatur, etiam si dominus ibi non fuerit, vel si adfit ibi, Vasallus autem id ignoret.

*Per text. ad precedentem thesin adscriptos, & tradunt gl. in verb. sciens. Aluarot. num. 1. & 3. Bald. num. 1. & 3. Iacob. de Beluiso, vers. Opponitur primò, Frid. Schenck Baro ad tit. 5. num. 1. lib. 1. feud. Sonsbeck. dict. part. 12. nu.*

ddd

35. Me-



35. Menoch. consil. 97. nu. 29. & seq. lib. 1. Iacobin. de S. Georg. Tract. de feud. in verb. Dictiq. Vasalli promiserunt, num. 33. pag. 79. Curt. Iun. Tractat. de feud. part. 4. num. 32. Zas. in Epit. feud. part. 10. num. 37. sed enunciati huius membro ultimo de scientia & ignorantia obstare videtur text. in dict. tit. 5. §. Similiter si dominum, ibi, sciens dominum, vel dominam ibi esse, libr. 1. feud. & in titul. 24. §. Porro si dominum ibi, vel vicum in quo est, libr. 2. feudor.

## LXI.

Sed quæritur, si Vasallus oppugnet arcem, castrum, vicum, aut civitatem, quam communem cum domino suo habet, an feudi sui amissione multetur? Schraderus negat (a), nos affirmandum putamus (b).

a) Tractat. feud. part. 9. cap. 3. num. 4. (b) Tum quia Socius, si in re communi damnum dederit, socio suo ex lege Aquilia tenetur, scilicet pro ea parte, qua dominus est, l. Sed si ex causa 47. §. 1. & legib. seqq. ff. pro socio, l. sed si communem, 19. & l. seq. ff. ad leg. Aquil. Tum quia socius, si rei communis furtum fecerit, socio suo furti actione tenetur, l. si socius 45. ff. de furtis, Tum etiã quia de re tota quod dicitur, de eius quoq. parte in re etiam communi intelligendum est, l. Quae de tota 76. in prin. ff. de rei vind. l. 3. ff. pro derelict. l. Quis scit. 25. in prin. ff. de vsur. l. in ratione 30. §. Rursus, ff. ad leg. Falcid. l. Si duo 51. in fin. ff. de administr. & peric. tut. l. Si seruus eius, 82. ff. de acquir. vel amitt. hered. Tum deniq. quod socio permissum non est, in re communi ut quid faciat, quo res ea deterior fiat, l. parietem 8. l. Quidam Hiberus 13. ff. de seruit. præd. urban, qui postremus locus in primis tuetur hoc pronunciatum nostrum.

## LXII.

Similiter feudo suo exiit Vasallus, si alij arcem, castrum, vicum, civitatem domini oppugnanti consilium aut opem præstiterit.

Tit. 6. vers. Sed quia non sufficit, & tit. seq. vers. Ego iuro. & tit. 57. ibi, insidijsq. eum clandestinis appetiuerit, vel inimicis eius suas amicitias copulauerit, atque in alijs sic versatus est, ut potiùs inimicus, quam fidelis esse credatur, libr. 2. feud. & tradunt Dd. quos collegit Rosenthal in Synopsi iuris feud. cap. 10. num. 52.

## LXIII.

Ad hæc, feudum suum amittit Vasallus, si illud fecerit deterius.

Per text. in tit. 8. §. E contrario, vers. Meliorem, tit. 24. §. Præterea si Vasallus

fallus, ibi, aut patrimonij grandem iacturam facere molientem, & tit. 27. §. Quicumq; aduocatum, ibi, beneficium inornate tractauerit, lib. 2. feud. Conferunt huc, quod emphyteuta priuatur emphyteusi sua, si rem emphyteuticam deteriore fecerit, Nouel. 120. cap. 8. & in Auth. Qui rem, C. de S. S. Eccles. Hartmann. Pistor. lib. 1. quaest. iur. quaest. 28. Mynsing. cent. 6. obser. 86. Colonus item si fundum conductum fecerit deteriore, ius suum amittit, l. 3. C. de locato.

## LXIV.

Duo autem coniunctim requiruntur, vt ex causa deteriorationis feudum suum amittat Vasallus. Prius est, vt dolo malo, vel culpa sua rem feudalem fecerit deteriore (a): Alterum, vt deterioratio illa sit insignis, id est, notabilis quantitatis (b): Addunt Dd. tertium, vt ad perpetuam rei feudalis iacturam ea deterioratio spectet (c). Verum decreta feudorum nobis hoc requisitum non agnoscere videntur (d).

a) Per tit. 21. de feudo sine culpa non amittit, tit. 22. §. Sancimus, ibi, nisi conuicta culpa, lib. 1. feud. tit. 22. in princ. ibi, eum in culpam incidisse, tit. 24. §. Praeterea, vers. Quod si non fecerit dolo, vel negligentia sua, vel fraude, tit. 52. §. vltim. lib. 2. feud. (b) tit. 24. §. praeterea, ibi, grandem iacturam, & Item si delator, ibi, graue dispendium, & §. Denique, vers. Si vero, ibi, graue deliquerit, & graue quid commiserit, Item ibi, vel aliud graue crimen, & tit. 23. in princ. vers. De illa, ibi, egregia ingratitudinis causa, lib. 2. feud. Quae autem sit modica, vel magna siue insignis deterioratio, declarat Menoch. lib. 2. de arbitr. iudic. cent. 1. casu. 78. (c) Schrader. dict. part. 9. cap. 6. num. 69. Vult. post alios lib. 1. de feud. cap. 11. nu. 39. (d) Tum quia Vasallo non licet feudi conditionem ne quidem in qualitate deteriore facere, tit. 8. §. Contra, vers. Si vero per se, iuncto praecedentiam §. lib. 2. feud. Tum quia feudum maxime in perceptione fructuum rei feudalis consistit, tit. 23. §. vltim. vers. Vt fructus vero, lib. eod. feud. Tum postremo quia ex fructibus feudi seruitia domino praestantur, tit. 54. in fin. & tit. 55. §. Firmiter. lib. 2. feud. Deteriorato igitur feudo Vasalli culpa, vt inde fructus percipere amplius non possit, indignus est feudo, per text. in dict. tit. 52. in princ. vers. Per multas, ibi, ac ita omnibus exhaustis suorum seniorum seruitia subterfugere, Item ibi, omnibus beneficijs suis exutos, ad felicissimi nostri nominis expeditionem nullo modo transducere valeat, & tit. 55. ibi, vnde debita seruitia amittebant, & c. lib. 2. feud.

ddd 2

Dolus

## LXV.

Dolus autem Vasalli ex eo potissimum arguitur, si à domino admonitus non desistat à deterioratione.

*Per text. in tit. 27. §. Quicumq; aduocatiā, ibi, & à domino suo admonitus, non respuerit, lib. 2. feud. Schrader. post alios d. part. 9. cap. 6. nu. 69.*

## LXVI.

Amittit ergo Vasallus feudum suum, si ex sylua non cædua dolosè fructiferas arbores in magnum & notabile illius syluæ damnum deciderit.

*Arg. l. fructus 7. §. si fundum viro, vbi Iason, num. 2. & 3. ff. solut. matr. & l. Si cuius rei 13. §. fructuarius causam, ff. de usufruct. l. in fundum 45. §. pen. ibi, ceterasq; arbores pomiferas cadere. ff. de iure fisci.*

## LXVII.

Si tamen Vasallus alias arbores in locum plantando substituat, feudum non amittit.

*Per text. in l. agri usufructu 18. ff. de usufruct. Castrens. Alex. Iason num. 4. in fin. ad dict. l. fructus. 7. §. Si fundum. ff. solut. matrim. Schrader. part. 9. cap. 6. num. 71.*

## LXVIII.

Amittit item Vasallus feudum suum, si villam feudalem dolosè diruat, idq; factum in signe damnum feudo adferat.

*Per text. in l. Si cuius rei 13. §. fructuarius causam, ff. de usufructu.*

## LXIX.

Quòd si etiam Vasallus in subditos feudales nimiùm sæuerit, feudo suo iurisdictionali ob id priuatur; maximè si à domino admonitus à sua in subditos non desistat sæuitia.

*Per text. in tit. 27. §. Quicumque aduocatiā, ibi, beneficium inornatè tractauerit, & c. lib. 2. feud. Facit etiam tex. in §. Sed & maior asperitas, Instit. de his, qui sui vel alie. iur. sunt. Dd. quos collegit Rosenthal in Synopsi iuris feud. cap. 10. conclus. 85. sub lit. A.*

## LXX.

Quamuis autem feudum emptum, ob deteriorationem non amitti Dd. nonnulli sentiant (a), nobis tamè contraria sententia probabilior videtur. (b)

a) Quos sequitur Grauert. consil. 6. num. 109. libr. 1. hoc argumento, quòd emptum feudum sit feudum improprium (b). Generalitate textus in tit. 8. §. E contrario autem, & in tit. 27. §. Quicumq; aduocatiā, lib. 2. feud. Quòd facit.

facit, quod distinctionem non admittit, quod simpliciter & generaliter dicitur, l. 3. in fin. ff. de offic. presid. l. 1. §. 3. vers. Et est relatū. ff. de aleatorib. Facit huc, quod feudum etiam improprium amitti dicitur iisdem culpis, quibus proprium amittitur feudum, tit. 26. §. feudum ea lege datum, libr. 2. feud. quamvis emptum feudum pro feudo habeamus proprio.

## LXXI.

Non autem toto priuatur feudo Vasallus, qui partem tantum deteriorem fecit, sed eam solum partem amittit.

Arg. l. Rescriptum 6. & l. heres 11. ff. de his, quæ vt indig. l. Paulus 58. ff. ad Senatusconsultum Trebell. l. Stichum 6. l. si ex toto 8. ff. de legat. 1. l. Sancimus 22. C. de pœnis. Et confert huc, quod parte feudi per Vasallum inconsulto domino alienata, non toto feudo, sed ea duntaxat parte alienata Vasallus priuatur, tit. 38. libr. 2. feud. quod item aliàs proportionis ratio habetur, vt in l. cum debitore 17. & l. seq. ff. Rem ratam hab. Quod denique vtile per inutile non vitiatur, l. 1. §. pen. ff. de verb. oblig. l. Sed et si 12. ff. de constit. pecun. In hanc quoque sententiam inclinat Schrader. dict. part. 9. cap. 6. num. 70. Sed huic conclusioni obstare videtur text. in l. 3. §. Si autem non totum, ff. de Senatusconsulto Silan. & l. Etiam si. 111. ff. de legat. 1. quodq. feudum, vt ius aliquod, indiuiduum est.

## LXXII.

Est & alia Vasalli culpa res domini concernens, ob quam similiter feudum amittit, puta alienatio feudi inconsulto domino facta.

Tit. 5. in fin. tit. 21. §. si quis miles. tit. 13. tit. 18. §. vlt. libr. 1. feud. tit. 9. in prin. tit. 24. §. vlt. tit. 26. §. feudum ea lege datum. tit. 38. tit. 44. tit. 52. §. si quis verò, & tit. 55. §. callidis itaq. machinationibus, libr. 2. feud.

## LXXIII.

Vt autem ex causa alienationis feudo suo exuatur Vasallus, duo coniunctim requiruntur. Prius est, vt sciat Vasallus feudum esse, non allodium (a).

a) tit. 26. §. Si Vasallus feudum, & tit. 42. libr. 2. feud.

## LXXIV.

Probabit autem Vasallus suam ignorantiam per iuramentum (b), cum ea, quæ in animo, & conscientia nostra consistunt, per simplicem nostram assertionem cum iuramento rectè probantur (c).

b) Tit. 42. in prin. libr. 2. feud. c. cum in tua, §. fin. extra. Qui matr. accus. poss. c. pastoralis, in fin. extra, de excepti. c. nulli, tit. de elect. in 6. Andr. Geil.

d d d 3

libr. 2.

libr. 2. obser. practic. obser. 48. num. 23. & seq. vide Schrad. dict. part. 9. cap. 1. num. 45. & seqq.

## L X X V.

Si tamen verissimile fuerit, quod non ignorauerit Vasallus feudum esse, iuramento suo committi non debet; veluti si potuerit scire, quod feudum sit, ut si maior pars bonorum, in quæ successit, feudalis sit, idq; sciat ipse Vasallus; siquidem in dubio reliqua etiam bona feudalia esse præsumantur, nisi contrarium probetur.

Per text. in tit. 41. §. vlt. libr. 2. feud. Andr. Geil. libr. 2. obser. practic. obseruat. 69. num. 6. adde eundem Geil. libr. 2. obseruat. 48. num. 18. Joseph. Mascard. de probat. vol. 2. conclus. 879. nu. 31. & seq. & Tiraguel. Tract. de pœnis temp. causa 13. num. 30.

## L X X V I.

Quod si autem dubitauerit Vasallus, feudum fuerit nec ne, cum alienaret illud, amissione eius non multatur.

Per text. in tit. 26. §. Vasallus feudum, tit. 34. §. vltim. libr. 2. feud. confert hic, quod dubitans ignorantia equiparatur, l. manifestissimum 22. §. Sin autem, ibi, nescius, & dubitans, C. de furtis, l. vlt. C. de condict. indeb. l. 2. in prin. ff. Quis ord. in possess. seruetur, Menoch. de recuperand. possess. Remed. 15. nu. 186. quodq; ut ignorans, sic & dubitans excusationem meretur, Bald. ad l. leges 9. num. 2. C. de legibus, & dubitatio ignorantiam imitatur, Cuiac. in comment. in lib. 2. quest. Papiniani, pag. 38. col. 1.

## L X X V I I.

Alterum quod hîc requiritur, est translatio possessionis. Sola enim conventio de alienando feudo non sufficit, sed & possessionis traditio necessaria est ad hoc, ut feudum suum Vasallus ex alienationis causa amittat.

Text. est in tit. 52. in princ. vers. Hortati itaq; ibi, sine ipsorum permissu distrahere, & in tit. 55. in prin. vers. Callidum insuper, ibi, feudum vendunt, & in alios transferunt, libr. 2. feud. Alienatum enim non dicitur proprie, quod adhuc in vendentis, vel alterius dominio manet, l. alienatum 67. ff. de verb. signific. Ad hæc fundamenta accedit autoritas Dd. quos collegerunt in hanc sententiam, Francisc. Viuius libr. 1. opin. com. lit. E. vers. Emphyteuta alienans. Emanuel. Soarez. in thesauro recept. sentent. in lit. F. num. 71. Schrad. dict. part. 9. cap. 1. num. 32. & Vult. libr. 1. de feud. cap. 11. num. 42. vers. Secundum. De alienatione per constitutum egimus disputatione superiore.

Et li-



## LXXVIII.

Et licet Vasallus alienatam feudi possessionem recuperet, antequam ei dominus quaestionem moueat, attamen feudo isthoc priuatur.

*Tit. 44. vbi Hotomannus lib. 2. feud.*

## LXXIX.

Vtrum autem Vasallus suum amittat feudum, si illud alienatum confestim poenitentia ductus recuperet, contraria Dd. vota reperiuntur; Nobis affirmantiu sententia decretis feudorum consona videtur.

Tum quia textus in dict. tit. 44. lib. 2. feud. generaliter & sine distinctione loquitur, Tum quia ratio dispositionis in dict. tit. 44. ibi, utpote domino, ad quemcunque peruenerit, apertum, lib. eod. feud. proposita durat etiam recuperato confestim feudo: ut & ratio in tit. 24. in fin. ibi, quia dominum contemnere videtur, lib. eod. feud. Tum quia nemini ius adquisitum auferri potest. l. Id quod nostrum 11. vbi Dd. ff. de reg. iur. Tum quia fur, licet confestim domino rem furtiuam restituat, ab actione tamen furti se hoc ipso non eximit. l. Qui ea mente, 65. ff. de furt. Tum etiam quia clericus, qui ob religionis habitum in feudum non succedit, etiamsi postea cucillum abiecerit, feudum tamen non recuperat, tit. 29. §. vlt. lib. 2. feud. His rationibus addimus consensum Schraderi dict. Tractat. feudali, part. 9. cap. 1. num. 17. & 18. Henric. à Rosenthal in Synopsi iur. feud. cap. 9. conclus. 5. & Hermann. Vult. lib. 1. de feud. cap. 11. num. 43. Et licet opinionem contrariam equiorem putent Andr. de Isernia, & Aluarot. ad tit. 44. num. 3. in fin. lib. 2. feud. & Curt. Iunior, Tractat. de feud. part. 4. num. 104. in fin. sententiam tamen quam hic probamus, textibus iuris feudalis congruam esse autumant. Sed contraria isthac sententia similiter munita videtur varijs, & rationibus speciosis, & Dd. autoritatibus, de quibus in scripto praesidio tractatu de feudis, cap. 11.

## LXXX.

Et si autem existiment Dd. (a), ad feudi amissionem ob eius alienationem illicitam desiderari & illud, ut dominus declaret, quod feudum in commissum cecidisse velit, nobis tamen contrarium veritati propius videtur (b).

a) Quos refert & sequitur Schrader. Tractat. feudali. part. 2. partis nonae principalis, Sect. 9. num. 1. & 5. & Vult. lib. 1. de feud. cap. 11. num. 45. Atque hanc opinionem confirmare videtur textus in l. 1. C. de reuocand. donat. l. cum hic status 32. §. ait oratio. ff. de donat. inter vir. & vxor. & in l. Donationes quas 25. C. dict. tit. & l. Donationes 31. §. pater. ff. de donat. & l. sine

emancip.

emancipatus 17. C. dict. t. & in l. 2. ibi, volenti ei licere eum à prædijs emphyteuticis repellere, Item ibi, Sed omnimodo eo (si dominus voluerit) repellendo, C. de iure emphyteut. (b) Nam feudorum placitum purè & simpliciter Vasallus ob feudi illicitam alienationem illud amittere dicitur, non sub conditione isthac, si dominus declarauerit, & c. Sola illa alienatio facit, quòd domino feudum aperitur, tit. 44. lib. 2. feud. & ad dominum illud redit, siue reuertitur, tit. 24. in fin. & tit. 38. lib. eod. feud. Accedit huc, quòd in dubio poenæ remissio non præsumitur, l. pen. ff. de vi bonor. raptor. l. Qui ea mente 65. ff. de furtis, & in specie, quòd felonie remissio non præsumatur, tradit Schrad. Tractat. feud. part. 2. partis 9. principalis, sect. 14. num. 23.

## LXX XI.

Amisso per illicitam alienationem feudo, licet remiserit dominus Vasallo culpam, sine tamen noua inuestitura feudi iure Vasallus rem illam feudalem non retinet.

Nam feudum ex alienatione feudum esse desinit, tit. 26. §. pen. lib. 2. feud. vt & feudum consensu domini alienatum, tit. 44. vers. prof. Et si domini, lib. eod. feud. Atque ipsa feudi alienatione illicita confestim omne ius Vasalli resoluitur, & rei feudalis plenum dominium per consolidationem ad dominum reuertitur, tit. 44. ibi, utpote domino ad quemcunque peruenerit aperto, & tit. 55. §. Callidis in super. ibi, feudum amittant, & ad dominum liberè reuertatur, lib. 2. feud. Hinc ergo sequitur, quòd non nisi per inuestituram, atque ita legitimum modum, Vasallus illud tanquam feudum recipere possit. Tum quia contractus, qui nudo consensu non reconualefcit, tacitè absq; iuris solennitate non renouatur, l. Quod ad certum 14. ff. locati, l. Si vt proponis 6. C. de nupt. Bart. & Costal. ad l. Item queritur 13. §. vlt. ff. locati. Tum quia emphyteusi aliquo modo finita, licet dominus patiat emphyteutam retinere emphyteuticam rem, attamen tacita domini voluntate absque interuentu scripturæ emphyteusis illa non renouatur, Bald. ad l. vn. num. 32. C. Quando non petent. partes petentib. accresc. Iason. ad l. 1. num. 96. C. de iure emphyteut. Tum postremò, quia aliàs feudum amissum non nisi noua inuestitura recuperatur, tit. 45. ibi, poterit eum dominus si voluerit, quasi de nouo beneficio inuestire, & tit. 54. ibi, in feudatus nisi per gratiam Ecclesie tanquam de nouo receperit feudum, quòd habebat, retinere non poterit, lib. 2. feud. & facit tex. in l. Sed si 5. vers. vlt. ff. de precario. sed obstare videtur l. Qui ex liberis 11. §. vlt. ff. de bon. posses. secund. tab.

## LXX XII.

Quòd si dominus de paterno feudo per alienationem amisso  
Vasallum

Vasallum reinuestire volet tanquam de nouo feudo, agnatorum consensus adhibendus erit.

Tum quia Vasallus nec contractu, nec culpa sua agnatis præiudicare potest, tit. 39. in prin. tit. 26. §. vlt. lib. 2. feud. & tit. 78. in capit. extraord. Tum quia agnati consequuntur feudum non à Vasallo delinquente, sed ex pacto cum primo acquirente inito, tit. 17. §. Si capitanei, ibi, per investituram patris & aui in beneficium succedunt, lib. 1. feud. & tit. 18. §. vlt. lib. 2. feud. Tum etiam quia nemo alterius delicto vel odio pragruari debet. l. crimen 26. ff. de pœnis Sancimus 22. C. eod. tit. l. Tutorem 22. ff. de his, quæ vt indig. Latè Hartman. Pistor. lib. 2. quæst. iur. quæst. 15. & aliquot seqq.

## LXXIII.

Expedienda nobis hoc loco & illa est quæstio, si dominus moriatur, antequam declarauerit animum suum de reuocando ob illicitam alienationem feudo, an hæredi eius potestas sit repetendi feudum illud? Et licet Dd. (a) communiter id negent, nobis tamen affirmandum videtur (b).

a) Gloss ad tit. 24. §. porro, in verb. assalierit, lib. 2. feud. Iul. Clar. libr. 4. sentent. §. feudum, quæst. 64. Curt. lun. tractat. feud. part. 4. num. 156. pag. 476. Molin. ad consuetud. Paris. §. 30. nu. 127. Schrader. Tractat. feud. part. 2. part. 9. princip. Sect. 9. num. 1. in fin. (b). Ob illicitam quippe feudi alienationem res feudalis confestim per consolidationem ipso iure ad dominum reuertitur, tit. 24. in fin. ibi, ad dominum beneficium pertineat, tit. 38. in princ. ibi, ad dominum reuertatur, tit. 44. ibi, utpote domino, ad quemcunq; peruenit, apertum, tit. 55. §. Callidis, ibi, feudum amittat. Item ibi, ad dominum liberè reuertatur, lib. 2. feud. Quidquid autem domini est, hoc ipso mortuo ad eius etiam heredes pertinet, l. heredes in omne 37. ff. de acquir. vel amitt. poss. l. hereditas, ff. de reg. iur. Quemadmodum ergo dominus per vindicationem repetere rem feudalem potest, tit. 44. in prin. ibi, ad quemcunq; peruenit, & tit. 40. §. praterea, tit. 55. §. vnde Imperator, ibi nullius temporis prescriptione impediante, iuncto tit. 8. §. 1. ibi, sibi quasi vindicare, lib. 2. feud. Schrad. part. 2. partis nonæ principalis, sect. 9. n. 22. Henr. à Rosenthal. in Synopsi iuris feud. cap. 9. conclus. 133. sub. lit. c. ita & heredes illius. Et licet pro reuocando hoc feudo personalis competeret actio ipsi domino, puta condictio, vt Dd. sentiunt: attamen & hæc domini heredibus competeret, per l. Quod diximus 16. §. vlt. ff. Quod metus causa, l. 4. §. vlt. ff. de alienat. iudic. mut. adi. causa fact. Et iam si ex maleficio sit, excepta iniuriarum actione, §. Non autem, vers. Sed heredibus. Instit. de perpet. & tempor. act. & olim actione de moribus, l. vlt. C. thes. de

eee

intest.

*intest. nupt. Sic conditio furtiva etiã heredi datur, l. Sed nec 11. ff. de condict. furt. Item actio rerum amotarum l. Si mulier 21. §. pen. ff. rer. amotar. His argumentis addimus autoritatẽ Dd. quos collegit Molinus, ad consuetud. Paris. d. §. 30. nu. 126. & seq. & Ioan. Borcholt de feud. cap. 8. n. 155. & seq.*

## XXCIV.

Superiori quæstioni proxima est illa, an reuocare dominus feudum alienatione amissum etiam ab heredibus Vasalli possit, si viuo Vasallo nullam ei quæstionem de feudo mouerit? Nobis affirmata sententia placet.

*Feudum enim ex illicita alienatione amittitur, & ipso iure ad dominum liberè reuertitur, vt supra etiam ostendimus ex tit. 24. in fin. tit. 38. in princ. tit. 44. & tit. 55. §. callidis. lib. 2. feud. Dd. quos collegit Schrader. dicta parte, 2. partis 9. principalis, Sect. 8. num. 21. Cum igitur in alienantis persona feudum esse desierit, proindeq; dominus rem ipsam feudalem vt propriam vindicare possit, nulla causa est, cur hac vindicatio domino contra heredem Vasalli denegari debeat; quippe cum in rei vindicatione spectemus tantum ex parte actoris dominium l. In rem 23. in prin. ff. de rei vind. ex Rei verò parte solã possessionem l. actionum 25. in prin. ff. de oblig. & act. l. Sin autem 27. in prin. & §. 1. l. Qui petitorio 36. in prin. & l. vlt. ff. de rei vindicat. Sed obstare videtur textus in l. His solis, 7. ibi, nec in heredem detur, nec tribuatur heredi, & in l. vlt. vers. vlt. ibi, vel aduersus eius successores, C. de reuocand. donat. Tum etiã quòd heredi mulieris non obijcitur culpa, ob quam ipsa mulier viua dotem suam perdere debuit, l. libertatem 36. vbi Cyn. Bald. & Salic. C. ad leg. iul. de adult. Tum postremò, quòd pœnales actiones contra heredes delinquentis non transeunt, l. pupillum 111. §. 1. ff. de reg. iur. §. Non autẽ, vers. Est enim certissima iuris regula, Instit. de perpet. & tempor. act. Quodq; actio etiam rei persecutoria modò ex delicto descendat, in heredem non datur, l. 4. §. vlt. iunct. l. 7. ff. de alienat. iudic. mutand. caus. fact.*

## XXCV.

Sed quæstio satis est anceps, an Vasallus dispendio totius feudum afficiatur, si duntaxat eius partem alienauerit, an verò partis tantum alienatæ? Et posterius feudorum placitis cautum esse dicimus.

*Tit. 38. lib. 2. feud. tit. 21. §. vlt. ibi, beneficium suum vendiderit totum, lib. 1. feud. confert eodem l. Paulus 58. ff. ad SC. Trebell. l. Heres 11. ff. de his, quæ vt indig. l. Stichum 6. & l. si ex toto 8. ff. de legat. 1. Tum etiam, quòd pœna metam delicti egredi non debet, l. ex facto 43. §. vlt. ibi, Satis enim punitus est in eo, in quo fecit contra leges, ff. de Vulg. & pupil. substit. & l. Sancimus 22. C. de pœ-*

de poenis. Atq; hac nostra sententia communi gloss. & Dd. calculo recepta est, ut post alios ostendit Curt. Iun. Tractat. de feud. part. 4. num. 143. pag. 484. Molin. ad consuetud. Paris. §. 13. gl. 5. num. 7. & latè Schrader. Tractat. feud. part. 9. cap. 1. nu. 55. Caterum obstare videtur text. in tit. 55. in prin. vers. Habito ergo. lib. 2. feud. vbi Bald. distinguit inter ius strictum, & ius benignum. Idem Bald. ad tit. 38. num. 3. lib. eod. feud. aliter distinguit. Aliter distinguit Ias. ad l. vlt. num. 125. C. de iure emphyteut. & post eum Roland. à Valle cons. 17. num. 12. vol. 2. Alia est sententia Hotomanni ad d. tit. 38. in verb. Si partem, partem perdat. lib. 2. feud. Videtur item refragari text. in l. Donari 29. §. Donationem. ff. de donat. Tum etiam, quòd parte canonis emphyteutici non soluta, intra legitimum tempus emphyteuta tota priuatur emphyteusi, Ias. ad l. 2. num. 55. C. de iure emphyt. & alij alibi. Tum postremò text. in l. 2. §. vlt. ff. de incend. ruin. naufrag.

## XXCVI.

Quæritur & illud, an Vasallus feudi sui amissione multetur, si necessitate famis, nuditatis, vel æris alieni compulsus inconsulto domino illud alienauerit? Affirmanti conclusioni, quæ communis est (a), subscribimus (b).

a) Ut patet ex his quæ scribunt Menoch. lib. 2. de arbitr. iud. cent. 2. casu 182. num. 1. Roland. à Valle consil. 56. num. 14. vol. 4. Harimann. Pistor. libr. 1. quæst. iur. quæst. 15. nu. 2. Schrad. Tractat. feud. part. 8. cap. 1. nu. 20. & Henr. à Rosenthal. in Synopsi iur. feud. cap. 9. conclus. 3. (b). per tit. 9. in princ. vers. necessitate. tit. 55. in princ. vers. Habito ergo, ibi. ut nulli liceat, Item, ibi, vel pro anima iudicare, lib. 2. feudor. Accedit huc, quòd Vasallus honorem & reuerentiam suo domino debet, quam certè non præstat ei, si ipso inconsulto feudum alienet, cum contemnere dicatur dominum alienando feudum sine eius licentia, tit. 24. in fin. lib. 2. feud.

## XXCVII.

Nunquid autem dominus Vasallo suo feudum alienare volenti assensum suum præbere etiam inuitus tenetur? Dd. quidem in casu necessitatis communiter ita sentiunt (a); at Schraderus id negat (b); cui & nostrum addere calculum non dubitamus (c).

a) Iul. Clar. in §. feudum, quæst. 31. num. 11. Vurmbser. libr. practic. obser. tit. 50. de feud. obser. 15. & 16. Iacob. Menoch. libr. 2. de arbitr. iud. cent. 2. casu 182. num. 11. & seq. & Ioan. Borcholt de feud. cap. 8. num. 70. (b) Tractat. feud. part. 8. cap. 1. num. 21. vbi in hanc sententiam adducit notata Baldi ad l. cum multa 7. C. de bonis, quæ liber. (c). Tum quia dominus inuitus as alienum Va-

eee 2

falli

falli solvere non tenetur, etiamsi Vasallus non soluto debito in periurij poenam incurrat, tit. 26. §. licet Vasallus, vers. Inde quasitum est, lib. 2. feud. Tum quia nemo dominus Vasallum novum recipere inuitus tenetur, cum nemo inuitus conferre in aliquem beneficium compellatur. l. Filiusfam. 8. §. inuitus, ff. de procuratorib. l. Inuitus nemo 156. in prin. ff. de reg. iur. l. inuitus 17. C. de procurat. Tum quia neq; in casu necessitatis Vasallus domino inuito feudum suum alienare potest, tit. 9. in princ. vers. Necessitate, lib. 2. feud. Sed inuitus dicitur & ille, qui aperte contradicit, l. Filiusfam. 8. §. Inuitus, ff. de procurat. Tum quia ad feudi licitam alienationem requiritur etiam domini permissio, tit. 52. in prin. vers. Hortatum itaque, ibi, sine ipsorum permissione distrabere, & tit. 55. in prin. vers. Habito ergo, ibi, sine permissione illius domini, lib. 2. feud. verbum autem permissionis liberrimam concedentis voluntatem significat, uti quoq; prepositio PER abundè arguit, l. Nec non, 28. §. Quod eius, ff. Ex quib. causis maior. l. Tamis 25. §. 1. ff. de mortis causa donat. Nec vlla cum necessitate coniunctum est, l. Non quicquid 40. in prin. ff. de iudic. Tum quia nemini inuito ius suum auferri debet, l. Id quod nostrum. 11. ff. de reg. iur. Tum quia dominus certam personam, & familiam elegisse censetur per tit. 34. §. similiter, & tit. 50. lib. 2. feud. Tum postremò, quia nec agnatus Vasalli quavis in feudum succedat, debita Vasalli inuitus solvere cogitur, tit. 45. in prin. lib. 2. feud.

## XCVIII.

Similiter & illud in dubium vocatur, sufficiatne domini tacitus consensus ad feudi alienationem? Ut sic præstò sit, quando alienatur feudum, nec alienationi contradicat. Communibus quidem Dd. suffragiis affirmans opinio probatur (a); nobis autem negans sententia placet (b).

a) Post alios Curt. Iun. Tract. de feud. part. 4. num. 137. Mynsing cent. 4. obser. 87. Ioan. Borcholt de feud. cap. 8. num. 72. & Henr. à Rosenhal in Synopsiuris feud. cap. 9. conclus. 31. (b). Ad licitam enim feudi alienationem iussus domini requiritur, tit. 21. §. vlt. ibi, sine iussu domini, lib. 1. feud. Iussus autem expressam eamq; precedentem voluntatem significat, l. si quis mihi 25. §. iussum, iunct. §. seq. ff. de adquir. vel amit. hered. Permissio item domini in alienatione feudi necessaria est, dict. tit. 52. in prin. vers. Hortatum, ibi, sine ipsorum permissione distrabere, & tit. 55. in princ. vers. Habito ergo, ibi, sine permissione ipsius domini, lib. 2. feud. Quæ autem vis sit verbi permittere, ostendimus suprà ad thesin precedentem. Adhæc sine domini precedente consensu qui feudum alienat, contemnere dominum videtur, dict. tit. 24. in fin. lib. 2.

lib. 2. feudor. Quis autem ignorat, maiorem esse presentis domini contemptum quam absentis? Accedit item huc textus in l. sicut 8. §. Non videtur. ff. Quib. mod. pig. vel hypoth. tac. contrah. Tum etiam quod presentis & tacens non presumitur ad suum detrimentum consentire, l. Filiusfam. 8. §. Inuitus, ff. de procuratorib. l. pen. ff. de furt. Iason ad l. Quae dotis 33. nu. 97. ff. solut. matrim. Menoch. praesumpt. lib. 2. praesumpt. 74. num. 8. & lib. 3. praesumpt. 74. num. 8. & libr. 3. praesumpt. 42. num. 10. & 24. Dyn. ad c. Qui tacet. tit. de reg. iur. in 6. Tacere enim est medium aliquod inter consentire & contradicere, l. Qui tacet 142. ff. de reg. iur. c. Is qui tacet, vbi Dyn. num. 1. & 5. eod. tit. n. 6. & taciturnitas pro eo est capienda, qui tacet, non contra eum, per l. cum de indebito 25. in princ. vers. Sin vero, ff. de probat. Consert item huc textus in l. De atate 11. §. Qui tacuit. ff. de interrog. in iure fac. l. non solum 39. in princ. ff. de procurat. & l. 5. §. si autem negent, ff. quib. ex causis in poss. natur. Denique confirmatur haec sententia eo ipso quoque, quod retrahens licet contractui inter fuerit, nihilominus retrahendi ius saluum habet, Molin. ad consuetud. Paris. tit. 1. §. 12. gl. 1. num. 9. 10. & 11. pag. 253. & Tiraquel. de retract. lig. §. 1. gl. 9. num. 148. cum aliquot seqq. per text. in dict. l. Sicut 8. §. Non videtur. ff. Quib. mod. pig. vel hypoth. soluitur, & §. si tutor, Instit. de inoffic. testam. Atque hanc sententiam amplectitur etiam Barthol. Camer. ad titul. 55. de prohib. feudi alienat. per Frider. pag. 527. & seqq. sed obstat l. Qui tacet, tit. de reg. iur. num. 6.

## XXCIX.

Quæritur & illud, liberetne Vasallum à priuationis poena alienationi adposita conditio hæc: Si dominus consenserit; vel, si domino placuerit, maximè si insuper additum sit, ne aliter, nec alio modo? Alij negant (a), alij affirmant (b), quibus & nos consentimus (c).

a) Iason ad l. non solum 8. §. Morte eius, num. 27. ff. de noui oper. nunciat. Alciat. Respons. 753. num. 1. Dec. consil. 160. num. 4. vers. Sed ista limitatio.  
 (b) Menoch. consil. 38. num. 12. & seq. lib. 2. Ioan. Borcholt post alios de feud. cap. 8. num. 82. & Rosenthal in Synopsi iur. feud. cap. 9. conclus. 98. & 100. (c)  
 Nam hac conditione adposita, dominus non contemnitur, vt in cuius arbitrium alienatio confertur, per l. Hac venditio 7. in princ. vers. Nam si arbitrium ff. de contrab. empt. & vendit. Et omnis alienatio, qua in tertij arbitrium confertur, nulla est, non accedente eo arbitrio l. vlt. c. dict. t. & §. Sed & certum esse pretium, Instit. de empt. & vendit. Alienatio item sub tali conditione facta, non est alienatio, quandiu dominus non consenserit, per text. in l. pecuniam quam 36. ibi, perinde est enim & c. vbi Alex. num. 4. ff. de reb. credit. l.

dit. l. Hæc venditio 7. in princ. ibi, conditionales venditiones tunc perficiuntur, cum implet a fuerit conditio, ff. de contrah. empt. & vendit. l. Qui Romæ 122. §. Agerius. ibi. si conditio non extitisset, stipulationem non commissam, ff. de verb. oblig. l. Necessario 8. in princ. vers. Quod si sub conditione, ibi, si defecerit conditio, nulla est conditio. ff. de peric. & commod. rei vendit. l. si quis sub conditione, 8. ff. si quis omis. causa testam. confert item huc textus in l. si hominem 19. ff. de usurpat. & vsucap. & l. 2. C. de pact. inter empt. & vendit. Accedit eodem, quod sub hac conditione facta feudi alienatione, fructus feudales ad Vasallum pertinent, per l. 4. iunct. l. 2. ff. de in diem addict. d. l. si hominem 19. ff. de usurpat. & vsucap.

## X C.

Nec levis est pæna inter Dd. de hac etiam quæstione, an feudi alienatio resoluat ius feudi, quod Vasallus habet, si eâ domini conditio melior efficiatur? Plerique id negant (a), nos autem cum Barthol. Camer. (b) & Ioanne Borcholten (c) affirmamus (d).

a) Quos refert & sequitur Petr. Duennas in Tractat. Regular. iur. reg. 40. limit. 8. (b) in repetit. tit. 55. de prohib. feudi alienat. per Frider. pag. 15. & seqq. (c) In comment. in consuetud. feud. cap. 8. nu. 78. (d) Tum quia hoc casu dominus tacitè alienationi consentire videretur, cum tamen eius consensus tacitus non sufficiat, ut iam ostensum fuit. Tum quia ad licitam feudi alienationem licentia domini necessaria est, tit. 55. in princ. ibi, sine dominorum licentia, lib. 2. feud. Licentia autem nunquam per tacitum conceditur consensus, latè Barthol. Camer. dicto loco, pag. 539. & seq. Tum quia nec fructuarius sine domini consensu pradium fructuarium mutare potest, l. usufructu 7. in fin. & l. seq. & l. usufructuarius 44. ff. de usufruct. Tum etiam quia dominus proprietatem rei feudalis ne quidem meliori concedere domino potest invito Vasallo, Ferd. Vasq. libr. 1. controvers. illustr. cap. 5. Quocirca nec Vasallus feudum suum in Vasallum alium, licet commodiorem, transferre potest, siquidem dominus & Vasallus ad paria iudicentur, tit. 6. in fin. libr. 2. feud.

## X C I.

Non est hoc loco ignorandum, quod Vasallus, feudo citra domini arbitrium vendito, non modò ipso beneficio multatur, sed & precij dispendium facit.

Text. in tit. 24. in fin. ibi, ut precio se cariturum agnoscat, & tit. 52. §. Si quis verò, ibi, precio ac beneficio se cariturum agnoscat, lib. 2. feud.

Precium



## XCII.

Precium autem emptori relinquitur, si ignorans feudum esse comparauerit illud.

*Per tex. in d. tit. 55. vers. Nos autē, ibi, Emptori bona fidei exempto actione de precio contra dominum competente, lib. 2. feud. l. ex empto 11. §. Qui autē ff. de act. empt. & vendit. & in l. Si ignorans 50. ff. locati.*

## XCIII.

Si non ignorauerit feudum esse emptor, variant Dd. iudicia, ad quem precium pertineat? ipse quidem emptor petitionem eius habet nullam (a), verum domini, an fisci lucro cedat, non eadem omnium est sententia. Hotomannus seniori, id est domino, relinquendum putat (b) Fridericus Schenck (c) cum alijs fisco addicendum existimat, quam sententiam & nos probamus (d).

a) *Per l. pen. & vlt. C. de rescind. vend. l. Si debitor 7. ff. Quae in fraud. credit. l. pen. C. de his, quae vi metusue causa, l. 1. C. de praescript. 30. vel 40. annor. l. vlt. C. de litigios. l. 1. C. de pradijs decurion. l. vlt. C. de fund. rei priuat. l. Quemadmodum 7. C. de agricol. & censit. lib. 11. (b). Ad tit. 52. in verb. precio cariturum, in fin. lib. 2. feud. (c), ad tit. 55. in prin. num. 2. lib. 2. feud. (d) per text. in l. Senatus 52. C. de contrah. empt. d. l. vlt. C. de litigiosis, l. auferretur 46. §. Quod à praeside 2. ff. de iure fisci.*

## XCIV.

Notarius quoque instrumentum illicitae alienationis feudi quae confecit sciens, officio suo priuatur, & cum infamiae periculo manum amittit.

*Tit. 52. §. Notarium verò, & tit. 55. §. scriba verò, lib. 2. feud. quae poena iuri communi consonat, Nouel. 17. & 42. atq; ita quae parte corporis deliquit notarius, eadem etiam multatur, secundum l. 3. C. de seruis fugit, & Nouel. 142. Cuiac. lib. 7. obseruat. c. 13.*

## XCV.

Haecenus de culpa Vasalli, quae in ipsum dominum committitur: sequitur de culpa Vasalli, quae in alium committitur, eiusmodi culpa est parricidium, quod Vasallus in persona fratris sui (a), aut filij fratris commisit (b).

a) *Tit. 24. §. Deniq; vers. Si verò non in dominum, & tit. 37. in prin. lib. 2. feud. (b). tit. 5. §. Item si fratrem, lib. 1. feudor.*

## XCVI.

Eatenus autem ex hac culpa Vasallus feudum amittit, quatenus hunc in finem parricidium eiusmodi admiserit, vt solus hereditare siue feudo potiretur.

*Dict. tit.*

Dict. tit. 37. in prin. vbi Aluarot. n. 4. Matth. de Afflict. n. 14. And. de Isern. Præposit. & alij. lib. 2. feud. Iacobin. de S. Georg. Tractat. de feud. in verb. Dictiq; Vasalli promiserunt, nu. 15. pag. 76. fac. 2. col. 2. & Hotoman. in disputat. feudal. c. 41. At Cuiac. ad tit. 5. Quib. mod. feud. amitt. qui illi est, tit. 2. libr. 1. feud. pag. 80. Ludolph. Schrad. Tract. feud. part. 9. c. 3. n. 25. vers. Quæ conclusio ampliatur primò, & Herman. Vult. lib. 1. de feud. cap. 11. num. 34. pag. 750. in prin. existimant, Vasallum ob hoc parricidiū feudo priuari, licet non hoc animo illud commiserit, per text. generalem in d. tit. 5. §. Item si fratrem, libr. 1. feud. & in d. tit. 24. §. Deniq; vers. Si vero non in dominum, lib. 2. feud.

## XCVII.

Licet autem Dd. quod de parricidio fraterno iam diximus, ad omne aliud parricidium porrigant (a), nobis tamen extensionem illam rationes variæ satis suspectam reddunt (b).

a) Curt. Iun. Tractat. feud. part. 4. num. 39. pag. 350. & seq. Zas. in Epit. feud. part. 10. nu. 67. Frider. Schenck Baro ad tit. 2. §. Deniq; nu. 3. libr. 3. feud. Sonsbeck. in comment. in vsus feud. part. 12. nu. 52. Cuiac. ad tit. 2. libr. 1. feud. Schrader. Tractat. feud. part. 9. cap. 3. num. 25. in princ. vers. Secundo hæc conclusio, VVesenbec. Tractat. de feud. cap. 15. num. 5. circa fin. Henric. à Rosenthal in Synopsi iur. feud. cap. 10. conclus. 65. & Vult. libr. 1. de feud. cap. 11.

(b) Tum quia autores iuris feudorum studuerunt causas amittendi feudum assimilare causis exheredationis, item causis reuocanda donationis, tit. 24. §. prædictis modis, lib. 2. feud. cum tamen neq; exheredatio, neq; reuocatio donationis ob quodlibet parricidium fieri possit, vti arguit Nouel 115. cap. 3. & seq. & l. vlt. C. de reuocand. donat. Tum quia Vasallus feudum non amittit, si domini fratrem occiderit, tit. 37. in princ. lib. 2. feud. Tum quia feudorum placita specialiter de cade fratris & filij fratris agunt in tit. 5. §. Item si fratrem suum, lib. 1. feud. non etiam generaliter de omni parricidio, licet ibi ex professo modos amittendi feudum explicent. Tum etiã quia inclusio vnus, est exclusio alterius, l. cū prætor 12. in prin. ff. de iudic. l. maritus 21. C. de procur. c. Nonne. vbi Dd. extra de præsump. c. Qualis, 25. distinc. Rotæ Boron. decis. 72. n. 1. Menoch. consil. 158. nu. 29. lib. 2. feud. vbi affirmat solidum esse argumentum ab inclusione vnus ad exclusionem alterius. Cum ergo feudista in dict. tit. 5. §. Item si fratrem, libr. 1. feud. meminerit primùm fratris, & deinde adiecerit duntaxat mentionem filij fratris, non leue illud argumentum est, Iurisconsultum non sensisse idem de cæteris, quorum cades similiter parricidij appellatione continetur. Tum postremò, quia causa finalis proposita in tit. 37. in prin. lib. 2. feud. cessat in alio parricidio. His rationibus addatur etiam autoritas

Iacobini

Jacobini de S. Georg. Tractat. de feud. in verb. Dictiq; Vasalli promiserunt, num. 15. Eguin. Bar. in methodo de beneficijs, lib. 3. cap. 3. vers. Sed & Francis. Hotoman. in disputat. feud. cap. 41. Ioann. Borcholt de feud. cap. 8. num. 102. qui omnes dictis locis loquuntur de fratre tantum, & filio fratris, non etiam de ceteris, in quorum persona similiter parricidium committitur. At communem opinionem iuuare multum videtur text. in tit. 24. §. Denique, vers. Si verò non in dominum, ibi, quod parricidij appellatione continetur, lib. 2. feudor.

## XCVII.

Quòd si tamè eadem ratio appareat in alio etiam agnato, æquè Vasallus feudo suo priuatur, si eum occidat, veluti si in viscera patruelis sui conuassalli ferrum itringat ad hoc, vt eo mortuo totum solus habeat feudum.

Paul. Picus ad tit. 5. §. Similiter si dominum, num. 11. 12. & 13. libr. 1. feud. quo confert, quod etiam in materia pœnali ex eadem certaratione de casu ad casum extensio fieri potest, Euerhard. in Topic. legalib. in loco à ratione legis ad extens. ips. num. 55. & seqq.

## XCIX.

Multò igitur magis feudo multatur Vasallus, si ideo patrem suum occidat, vt eò maturiùs feudi paterni particeps fiat.

De hac conclusione Dd. nihil dubitant, siquidem ob omne parricidium amitti feudum tradant. Schrad. part. 9. cap. 3. num. 25. vers. Tertio hac conclusio, idem sentis de Vasallo spiritualem patrem occidente.

## C.

Et amittit Vasallus feudum, licèt saltem insidias struxerit tali cuidam propinquo, quamuis exitus secutus non fuerit.

Arg. l. 1. in fin. & l. sciente 7. ff. de leg. Pomp. de parricid. Schrader. dict. cap. 3. num. 30.

## CI.

Quin etiam feudi sui dispendio subiacet Vasallus, si conscius saltem fuerit cædis fraternæ, aut filij fratris, nec tamen hoc facinus reuelauerit, & vindicauerit.

Per l. 2. l. vtrum 6. ff. de leg. Pomp. de parricid. Schrad. d. cap. 3. nu. 33.

## CII.

Perdit quoque feudum suum Vasallus, si solùmmodo prædictorum aliquem dolosè & iniustè captiuum detinuerit, aut carceri mancipandum alij tradiderit (a) licèt quidam ex Dd. id negent (b).

fff

a) vs

a) Vt communiter Dd. sentiunt, quos referunt & sequuntur Curt. Iun. Tractat. de feud. part. 4. num. 39. Schrader. dict. cap. 3. num. 35. Rosenthal cap. 10. conclus. 65. & vide, libr. 1. de feud. cap. 11. num. 34. in fin. & rectè quidem tum quia mors & vincula inter se comparantur, l. nec timorem, 7. §. 1. ibi, vel mortem vel vincula, ff. Quod metus causa. Tum etiam quia Vasallus exuitur feudo suo etiam ob hoc, quod dominum ab alio carceri inclusum non liberauerit, tit. 24. §. Item si delator, & tit. 26. §. licet, libr. 2. feud. (b) Ruin. cons. 37. nu. 20. & Natt. cons. 174. num. 13.

## C I I I.

Est & alia huius generis culpa, nefartia scilicet conuasalli traditio, ut hic in curia domini amplius stare non possit.

Tit. 37. libr. 2. feud. quo loco per hominem Iurisconsultus conuasallum (ut remur) significat, quippe cum alibi etiam Vasallus simpliciter homo dicatur, ut ostendit Hotoman. in disputat. feudal. cap. 24. pag. 128. & in libello de verb. feudalib. in voce homo. forte ex eo, quod domino homagium, id est, fidelitatem prestat. Aluarot. in pralud. feud. num. 42. Cbassen. ad consuetud. Burg. Rubric. 3. num. 3. in verb. Et homage, Molin. ad consuetud. Paris. §. 2. gl. 3. Et quod dicto loco per hominem Vasallus denotetur, arguunt quoque verba hac, ut in curia amplius stare non possit. Est autem tradere hominem, id est, conuasallum, prodere eum ad occidendum, per tex. in c. 2. extra de offic. iudic. ordin. Eguin. Baro ad dict. tit. 37. libr. 2. feud. & Cuiac. ad tit. 2. libr. 1. feud. pag. 80. Neg. mirum, quod ex hac causa Vasallus feudo suo priuatur, tum quia & miles, qui suum commilitonem vulnerat, si lapide militia rejicitur, seu gladio, capite punitur, l. Omne 6. §. Si quis commilitonem, ff. de re milit. Tum quia conuasalli fratrum loco sunt, siquidem pares dicantur, item compares, pares curie, pares curtis, pares domus, pares in domo domini, ac Vasallus feudo suo priuatur, si fratrem suum, ac filium fratris occidat.

## C I V.

Quod autem de tradito conuasallo iam diximus, exaudiendum Dd. putant (a) de quouis alio homino tradito, sed nostro animo perperam (b).

a) Quos collegerunt & secuti sunt Ludolph. Schrader. tractat. feud. part. 9. cap. 3. nu. 64. Ioan. Borcholt de feud. cap. 8. num. 125. Henr. à Rosenthal. cap. 10. conclus. 62. Vult. libr. 1. de feud. (b). Tum quia in principio tit. 37. libr. 2. feud. disertè negatur Vasallus feudum suum amittere, si fratrem domini interfecerit, neque distinguitur proditoriè nec ne id fecerit. Tum quia ibi-

dem ver-

dem verba hæc, vt in curia amplius stare non possit, ad Vasallum traditorem referri non possunt, quasi hic propter infamiam Vasallus amplius esse non possit. Siquidem qui fratrem domini occidit Vasallus, licet condemnatus infamis inde fiat, feudum tamen suum non amittat. Et sola honoris amissio non est causa amittendi feudum, tit. 24. §. Sed quia natura, vers. illud enim est certum, libr. 2. feud. Alioqui enim feudum suum amitteret Vasallus, si furtum fecerit, si iniuria aliquem affecerit, si adulterium commiserit, si mulierem viduam sciens intra tempus luctus vxorem duxerit, &c. Neque possunt isthæc verba intelligi de alio quàm Vasallo, siquidem nihil ad curiam domini extraneus pertineat. Quæ in patrocinium suæ sententiæ Dd. contulerunt, refutata sunt in præsidis commentario feudali cap. 11.

## C V.

Incestum si commisisse probetur Vasallus, feudo suo indignus communi interpretum (a) iudicio censetur, cum tamen de hoc pronunciatum non immeritò quis dubitauerit (b).

a) Quos referunt & sequuntur Schrader. part. 9. cap. 3. num. 1. Vuesenb. de feud. cap. 15. num. 5. in fin. Ioann. Borcholt cap. 8. num. 105. Vult eius libr. 1. de feud. cap. 11. num. 36. Henric. à Rosenthal. cap. 9. conclus. 68. His adde Cuiac. ad tit. 2. libr. 1. feud. pag. 80. (b). Tum quia nullum in libris feudorum ei fundamentum est positum, proindeq; nec recipiendum, l. 5. ff. de probat. l. 11. lam 19. ibi, Eo quòd nulla constitutio super huiusmodi collectione posita esset, C. de colla. Nouel. 18. cap. 5. Tum quia ob incestum neq; liberi à parentibus exheredantur, vt conuincitur ex Nouel. 115. cap. 3. neq; donatario liberalitas à donatore aufertur, vt patet ex l. vlt. & tot. tit. C. de reuocand. donat. Cum tamen causæ amittendi feudum a simulentur causis exheredationis, & reuocandæ donationis, tit. 24. §. prædictis modis, libr. 2. feud. Tum etiã quia Vasallus licet stuprauerit sororem domini sui viduam, vt quæ amplius in domo domini non est, feudum non amittit, tit. 5. §. Item si fidelis, libr. 1. feud. tit. 24. §. Rursus si domini, libr. 2. feud. quo tamen stupro dominum magis offendi, quàm incestu, quem admisit Vasallus, dubium est nullum. Tum quia Vasallus, quanuis stupro maculauerit viduam sui domini, feudum tamen non amittit, tit. 21. §. vlt. ibi. domino viuentem, libr. 1. feud. etiam si hoc maleficium in domini iniuriam tendat, per ea quæ scribit Bart. ad l. Fideicommissum 27. num. 2. C. de fideicommiss. Grauet. consil. 205. num. 26. Tum postremò, quia in in pœnalibus attentio iuris permissa non est, & in dubio eam sequimur interpretatione, per quã pœna vitatur, l. semper in dubijs 56. ff. de reg. iu. c. semper in obscuris, extra d. t. c. In obscuris, vbi Dyn. eod. tit. in 6. gl. ad l. iurigentium 7. §.

fff 2

Quod

Quod ferè ff. de pactis, Alex. consil. 70. nu. 2. vol. 1. His argumentis adde Curt. lun. Tractat. de feud. pars. 4. nu. 40.

## C VI.

Amittit quoque Vasallus suum feudum ob crimen læsæ maiestatis damnatus.

c. Felicis. §. Si qua verò, tit. de pœnis, in 6. c. In quibusdam. §. Sacri, extra eod. tit. l. Quisquis §. 1. C. ad leg. Iul. maiest. at. Schrad. post alios dict. part. 9. c. 8. nu. 18. Borholt. cap. 8. nu. 156. Rosenthal cap. 10. conclus. 109.

## C VII.

Adulterium & stuprum quod attinet, Dd. inter causas amittendi feudum hæc numerant (a), verùm, vt iremur, nullo iure (b).

a) Iacob. de Arditz. in vsibus feud. cap. 57. & alij, quos citat Henr. à Rosenthal, d. cap. 10. conclus. 67. sub lit. b. per text. in tit. 37. ibi. vt in curia amplius stare non possit. libr. 2. feud. (b) Tum quia feudorum placita in societatem causarum, ex quibus feudum amittitur, nusquam adulterium, & stuprum retulerunt, Tum quia ob hæc duo crimina, nisi filius nouerca sua aut concubina patris vitium intulerit exhereditatio fieri nequit, arg. Nouel. 115. cap. 3. neq. donatio reuocari, arg. l. vlt. C. de reuocand. donat. Tum quia Vasallus feudo suo non priuatur, si domini fratrem interfecerit, tit. 37. in princ. lib. 2. feud. Tum postremò quia feudorum placita nominatim de eo loquuntur stupro, quod domini vxori, filia, nurui, nepti ex filio, & sorori, que in capillo est, illatum probatur, tit. 5. §. Item si fidelis, tit. 21. §. 1. lib. 1. feud. tit. 24. §. Rursus si domini, lib. 2. feudor. Inclusio autem vnius, est alterius exclusio. Hanc quam defendimus sententiam amplectitur quoque dominus Vult. lib. 1. de feud. cap. 11. num. 36. vers. Quod ad adulterium.

## C VII.

Haftenus de culpa Vasalli, quæ in committendo consistit: Succedit modò ea Vasalli culpa, quæ in omittendo versatur; vt si non fecerit Vasallus, quod ex præceptis iuris feudorum facere tenetur. Huius autem culpæ exempla similiter varia sunt. Primùm si Vasallus intra legitimum tempus inuestituræ renouationem non petierit, veluti si Vasallus mortuo domino ab eius successore intra annum & diem non petierit inuestituram, vel mortuo Vasallo eius legitimus successor intra idem tempus non petierit à domino inuestituram.

Tit. 24. in prin. tit. 40. in prin. tit. 52. §. vlt. tit. 55. in prin. vers. Prætere a si quis, lib. 2. feud.

Miles

## CVIII.

Miles si fuerit Vasallus, intra annum & mensem petere inuestitura renouationem tenetur, alioqui perdit feudum suum.

*Tit. 22. in princ. lib. 1. feud.*

## CIX.

Quòd si tamen non dolo, sed iusta interueniente causa Vasallus intra legitimum tempus non petierit inuestituram, feudo non priuatur.

*Tit. 52. S. vlt. lib. 2. feud. Iacob. de Ardiz. in vsib. feud. cap. 72.*

## CX.

Vnde eorum (a) opinionem, qui rigoris & odij plena existimant feudorum iura, quæ ob non petitam inuestituram intra tempus legitimum feudum amitti volunt, probare non possumus (b).

a) Iason *consil. 64. num. 2. vol. 3. Menoch. consil. 468. num. 12. vol. 5. Vult. libr. 1. de feud. cap. 11. num. 23. pag. 722. vers. ceterum.* (b) Non enim feudo suo priuatur Vasallus ob hanc causam, nisi eius dolus arguatur, d. tit. 52. S. vlt. lib. 2. feud. Est autem contra naturalem equitatem, vt alicui suus dolus profit, l. 1. S. 1. ff. de doli mali & metus except. & l. eū qui 14. S. Is autē. ff. de furt. l. nō fraudatur 134. S. vlt. ff. de reg. iur. c. sedes Apostolica, in fin. & c. seq. in fin. extra de rescript. c. 2. in fin. extra de dolo & contum. siquidem dolus sit delictum l. ex contractu 49. ff. de oblig. & act. & trimen dicatur magnum l. Item exigit 16. ff. de dolo malo. Delicta autem & crimina impunita manere non debeant. l. Ita Vulneratus, 51. vers. Quod si quis. ff. ad leg. Aquil.

## CXI.

Sed quæritur, an Vasallus elapso isthoc petendæ inuestiturae legitimo tempore moram purgare possit? Et licet affirmata conclusio communior & æquior censeatur, si, antequam dominus caducitatem declarauerit, moræ purgatio fiat (a), nobis tamen negata sententia placet (b).

a) Hermann. Vult. post alios lib. 1. de feud. cap. 11. num. 23. pag. 722. in fin. & pag. seq. (b) Nunquam enim purgatur mora his casibus, quibus à lege vel homine fit executio. l. Si is, cui, 19. ff. de legat. 2. l. Qui ob rem 35. ff. de condict. indeb. l. Quidam 10. in fin. princ. ff. de fideicommiss. libertat. Bart. ad l. Si Insulam 84. quest. 4. & ibidem Alex. & Iason. ff. de verb. oblig. Deinde quando pœna ex maleficio imponenda venit, tunc mora purgari nequit. arg. l. 1. S. Si rem ff. de positi. l. Qui ea mente 65. vbi Bart. ff. de furt. Bart. ad dict. l. Si Insulam 48. quest. 6. & ibi, Alex. & Iason. ff. de verb. oblig. Alex. consil. 57. in fin.

vol. 2. Adhæc ius nobis semel quasitum, absq; facto seu culpa nostra auferri nobis neutiquam potest. l. Id quod nostrum 11. vbi Det. & alij. ff. de reg. iur. l. vlt. C. Si contra ius, vel vilit. pub. c. Quæ in Ecclesiam, extra de constitut. confert in super huc, quod mora purgatio ex bono & a quo fieri permittitur, l. Si seruum 91. §. Sequitur. ff. de verb. obligat. Sed a quitas non patitur, vt quis ex suo dolo lucrum ferat d. l. 1. §. 1. ff. de doli mali, & metus except. l. 1. in princ. ff. de dolo mal. Adfert nostræ assertioni robur & illud, quod emphyteuta mora purgatio non tribuitur l. 2. ibi, omnimodo si dominus voluerit repellendo; Item ibi, elapso triennio suo iure is, qui emphyteusin suscepit cadat, vbi Ioan. Ferrar. ad verb. Sin autem nihil. C. de iure emphyt. Deniq; Vasallus ex hac culpa ipso iure feudum amittere censetur, vti arguit text. in dict. tit. 24. in princ. ibi, beneficium amittit, & d. tit. 55. in princ. vers. Præterea, ibi, transactio hoc spacio feudum amittat, & ad dominum redeat libr. 2. feud. & tradunt Dd. quos citat Rosenthal cap. 10. conclus. 111. sub. lit. F. & sentit Bald. consil. 429. num. 3. libr. 1. Caterum quæ enunciato huic obstare videntur, expedita sunt à Præsidiè in comment. feud. cap. 11.

## CXII.

Est & illa Vasalli culpa in omittendo consistens (licet D. Vultei dissentiat (a), si dominum in aliquod vitæ aut corporis periculum adductum dimiserit; veluti si cum domino ad præliū iuerit; & in acie ipsum periclitantem, non mortuū, nec ad mortem vulneratum, deferuerit (a), vel non ignoret dominum obsideri, vel alia ratione mortem, ei, vel quod aliud periculū magnū imminere, & cum potuerit ei non nunciauerit, vel sine nuncio eum non adiuuerit (b):

a) Tit. 5. in prin. & tit. 27. §. vlt. lib. 1. feud. tit. 24. §. Item qui dominum suum, tit. 57. lib. 2. feud. (b) dict. tit. 24. §. præterea, & tit. 26. §. licet Vasallus, & tit. 28. §. Ad hoc quantocunq; lib. eod. feud.

## CXIII.

Et licet hæc Vasalli culpa non fuerit dolosa, sed tantum quadam negligentia dolo proxima contineatur, attamen feudo suo multatur.

Tit. 24. §. præterea, lib. 2. feud. Francif. Sensbeck. in comment. in vsus feud. part. 12. num. 15.

## CXIV.

Sed quæritur, an etiam feudo priuetur Vasallus, si dominum suum in bello dimiserit, etiam si illi nondum præsens sit comparatum periculum? Et licet quidam id negent (a) nos tamen cum Sonsbeckio (b) affirmandum putamus (c).

a) Ad



a) Ad tit. 24. §. Item qui dominum, lib. 2. feud. (b). part. 12. nu. 10. (c) Alio tamen quàm quo illo argumento mouetur, hoc nimirum, quod & ille Vasallus, qui saltem denegat seruitiū domino, feudi priuatione afficitur, tit. 21. in prin. vers. vel si dominus suis, lib. 1. feud. d. tit. 24. §. Sed non est alia, & tit. 55. §. Firmiter etiam statuimus, lib. 2. feud.

## CXV.

Queritur & illud, num multetur suo feudo Vasallus ob dimissionem sui domini in bello, si pœnitentia ductus post fugam statim ad dominum redierit? Baldus quidem negat (a), cuius opinionem alij æquiores putant (b) nos verò id asserendum remur (c).

a) Ad tit. 5. numer. 2. vers. Sed pono, lib. 1. feud. argum. l. si pœnituit 7. ff. de diuort. l. Qui falsam 19. ff. de legat. Cornel. de falsis, l. 3. §. Desertor, ff. de re milit. (b). Henric. à Rosenthal cap. 10. conclus. 9. sub lit. H. (c). Tum quia feudorum placita ob id solùm feudo priuant Vasallum, quòd hic dominum suum in bello dimisit, dict. tit. 5. in princ. & tit. 21. §. vltim. lib. 1. feudor. & dict. tit. 24. §. Item qui dominum lib. 2. feud. Tum quia illo etiam momento, quo absuit Vasallus, periculum imminere domino potuit. Tum quia punitur miles, qui duntaxat agmen excescit. l. 3. §. Sed qui agmen, ff. de re milit. quique saltem arma in bello amisit, vel alienauit, dict. l. 3. §. miles, qui in bello, ff. dict. tit. Tum etiam, quia nemo fugæ peccato pœnitentia sua nocens esse desinit, l. Quid sit fugitiuus 17. §. 1. ff. de Edilib. edict. Tum postremò, quia pœna delicti ex pœnitentia delinquentis non remittitur, l. Qui ea mente, 65. ff. de furt. l. pen. ff. vi bonor. rapt. His argumentis accedit autoritas Laudens. ad dict. tit. 5. lib. 1. feud. Curtij lun. in Tractat. de feud part. 4. num. 12. & Sonsbeck, in comment. in vsus feud. part. 12. num. 14.

## CXVI.

Vocatur & illud in quæstionem, si duo sint fratres Vasalli, commune feudum possidentes, qui ambo ad bellum cum domino iuerunt, sed vnus dominum dimisit, alter verò perstitit, & defensauit dominum, an qui aufugit, partem suam amittat? Quidam negant (a), quidam inter feudum diuiduum & indiuiduum distinguunt (b), quidam simpliciter affirmant (c), quos sequimur (d).

a) Quos sequitur Schrader. Tractat. feud. part. 6. cap. 6. num. 91. (b). Curt. lun. dict. part. 4. num. 18. & Mozz. Ex quib. causis feud. amitt. num.

96. vers.

96. vers. Pro solutione. C. Ludouic. Roman. singul. 244. Sonsbeck. dict. part. 12. num. 13. Ioan. Borcholt cap. 8. num. 87. Vult. libr. 1. de feud. cap. 11. num. 18. pagin. 716. (d). Tum quia soliditas, id est communio rerum non liberat à poena delicti socium delinquentem. l. Rei communis 45. ff. pro socio, l. cum duobus 52. S. vltim. ff. dict. tit. Tum quia alienata à Vasallo parte feudi, ea tantum pars amittitur. tit. 38. libr. 2. feud. Tum quia delicta impunita manere non debent, l. Ita vulneratus 51. vers. Quod si quis, ff. ad leg. Aquil. & culpa suum tenere debet autorem, l. Sancimus, 22. C. de panis. l. crimen. 26. ff. dict. tit. Tum etiam quia si socius rem communem portans non soluerit vectigal, eius pars in commissum incidit, non etiam pars alterius socij, l. fraudati 8. in fin. ff. de publican. & facit l. cotem. 11. S. Dominus, & l. vlt. S. Magnus, ff. dict. tit. confert item huc text. in l. pen. C. de condit. insert. & l. si ita fuerit 13. in prin. & S. 1. & 2. ff. de manumiss. testam.

## C X V I I.

Si tamen ciuitas quædam feudum ab aliquo possideat domino, licet pars quædam ciuitatis dominum in bello dimiserit, rata feudi portio ciuitati non decedit.

Per l. in tantum 6. S. vniuersitatis ff. de diuis. rer. S. vniuersitatis, Instit. eod. l. 1. S. seruum municipum, ff. de quaestionib. & l. Sed si hac, 10. S. manumittitur, ff. de in ius vocand. l. 2. ff. Quod cuiusq; vniuers. nom. l. sicut 7. S. 1. ff. dict. tit. Rosenthal post alios cap. 10. conclus. 14. & Vult. libr. 1. cap. 11. nu. 19. in fin. Facit huc, quod neq; contrahendo, neq; delinquendo pars ciuitatis ipsi ciuitati siue Reipub. nocere potest, Canonista ad c. in nostra, extra de iniur. Hartman. Pistor. lib. 1. quest. iur. quest. 37. num. 2. 3. & 4.

## C X V I I I.

Neque amittit Vasallus feudum suum, si propter nimiam horum crudelitatem & uitiamq; dominum suum in bello dimiserit.

Per l. Fulcinius 7. S. Quid sit autem latitare. ff. Quib. ex caus. in poss. eatur, l. Interdum 21. S. Idem iuris esse, ff. de acquir. vel amitt. poss. l. omne delictum, 6. S. pen. ff. de re milit. tit. 21. S. vlt. in fin. ibi. Si potuerit, & tit. 7. ibi, pro posse meo, lib. 2. feud. Curt. Iun. part. 4. num. 14. Schrader. part. 6. cap. 6. num. 83. Sed obstare videtur l. 1. S. iuxta hoc, ff. de SC. Silan. & l. Omne delictum 6. S. vlt. ff. de re milit.

## C X I X.

Quid verò si existimet Vasallus, dominum lethaliter esse vulneratum, cum tamen vel nullum ei impositum sit vulnus, vel sit quidem  
ei vul-

ei vulnus illatum, at non lethale, nunquid feudo se indignum facit, si fugiat? Sonsbeckius negat (a), negat & Vulteius (b), verum non deest ratio, quæ hanc negationem planè dubiam reddit (c).

a) Part. 12. num. 13. (b) lib. 1. de feud. cap. 19. pag. 718. (c) Quæ est, quod hic etiam sola negligentia Vasalli punitur, nec dolus requiritur, vti arguit text. in tit. 24. §. præterea, lib. 2. feud.

## CXXI.

Vocatur in quæstionem & illud, an feudo suo priuetur Vasallus, si dominum, qui bellum mouit iniustum, iuuare cœperit, & postea pœnitentia ductus deseruerit eum? Dd. autem id communiter negant (a), nos verò affirmamus in casu, vbi dominus in certissimum vitæ aut corporis discrimen fuerit adductus (b); sin exemptus sit à periculo, negamus similiter (c).

a) Schrad. part. 6. cap. 6. nu. 87. Rosenthal cap. 10. conclus. 13. & Vult. lib. 1. de feud. cap. 11. num. 19. circa finem. (b) Per text. in tit. 28. in princ. vers. Sed cum palam, lib. 2. feud. (c) Tum quia sufficit, si cui vel in paucis amici labore consulatur, l. Tutori 20. C. de negoc. gest. Tum quia à peccato desistere laudabile est, Can. in malis, Can. vnusquisq, & c. magna sapientia, 22. quæst. 4. quippe cum tanto grauiora sint peccata, quanto diutius infelicem animam alligatam detinent, c. vlt. extra, de consuetud. Tum etiam quia humanitas iniusta pœnitentia amputari non debet, l. Si quis libellos 28. C. de appellat.

## CXXII.

Huiusmodi porrò culpam committit Vasallus, si grandem aliquam patrimonij iacturam domino imminere non ignoret, de ea tamen ipsum certiozem non faciat (a), vel eam à domini patrimonio, cum possit, sua opera non auertat (b).

a) Tit. 24. §. Præterea si Vasallus, lib. 2. feud. (b). tit. 6. vers. vtile, iunct. vers. Et si contigerit, lib. eod. feud.

## CXXIII.

Est & illa huius generis culpa, si Vasallus seruitia, quæ domino ex feudo suo debet, requisitus non præstiterit.

Tit. 21. in prin. vers. vel si dominis suis, lib. 1. feud. tit. 24. §. sed non est alia, tit. 26. §. licet Vasallus, tit. 28. §. Ad hoc, tit. 37. §. vlt. tit. 54. in prin. tit. 55. §. Firmiter, lib. 2. feud.

## CXXIV.

Sed an feudo suo priuetur Vasallus, si annum canonem, quem ex feudo debet, suo domino non præstiterit, intra triennium, variant

ggg

Dd. opi-

Dd. opiniones ; Et licet communiter id negent (a), nos tamen aienti parti assensum præbere non dubitamus, si dolo malo & fraude Vasallus canonem debitum in termino conuento non soluerit (b).

a) Schrader. part. 9. cap. 6. num. 75. & seqq. Henric. à Rosenthal cap. 10. conclus. 19. (b) Tum quia Vasallus, qui dominum suum contemnit, feudo exuitur, tit. 24. in fin. lib. 2. feud. Tum quia nulla fraus, nullus dolus inter dominum & Vasallum interuenire debet: qui si interuenerit, feudum amittitur, tit. 52. §. vlt. iunct. tit. 9. in prin. vers. Si autem dissentiente, ibi, quod & ipsum sincere hodie & sine fraude licet ei facere, lib. 2. feud. Tum quia hic Vasallus perfidus & improbus est in dominum suum, vt qui datam fidem de canone præfinito tempore soluendo malitiosè fregit, vt proinde amplius fidelis id est, Vasallus esse haud possit, arg. text. in tit. 6. vers. pen. ibi. Si beneficio vult dignus videri, iunct. vers. vlt. ibi, merito censebitur malefidus, Item ibi, perfidus, & periurus, lib. 2. feud. Tum quia Vasallus, si feudo dignus haberi velit, operam dare debet, ne dominus rem, quam habet, aut habiturus est, iniuste amittat, tit. 7. vers. Et si contigerit, libr. eod. feud. Tum etiam quia obligatio soluendi canonis annui, propter quem etiam feudum datum est, planè est similis obligationi præstandi personalia seruitia, vti haud obscure conuincitur ex tit. 24. §. Sed non est alia, ibi, quàm si id, propter quod beneficium datum fuerit, lib. 2. feud. & tit. 51. §. vlt. ibi, ad certum seruitium, lib. eod. feud. iunct. d. tit. 24. §. Sed quia natura, ibi, si qua fuerit antiquioribus causis similis, lib. eod. & tit. 17. in fin. ibi, vel similes culpas, lib. 1. feud. Tum postremo quòd etiam emphyteuta ob non solutum intra præfinitum tempus canonem, emphyteusin amittit. l. 2. C. de iure emphyteut. His argumentis accedit auctoritas Sonsbeckij. d. part. 12. nu. 64. & seq.

## CXXV.

Est item huius generis culpa, ob quam etiam feudum amittitur, si Vasallus dominum suum inopem pro modo feudialere recuset.

Per fundamenta thes. 35. dissertationis præcedentis 16.

## CXXVI.

Vt & si Vasallus dominum suum carcere inclusum non redimat, cum sciat eum in carcerem missum, ac ipsum liberare valeat.

Tit. 24. §. Item si delator, lib. 2. feud. vide Schrader. part. 9. c. 8. n. 8. vers. Hac conclus. & vers. seq. Borcholt. c. 8. n. 14. Vult. lib. 1. c. 11. n. 48. qui limitant hanc conclusionem in domino ob as alienum vel delictum aliquod carceri incluso. Priorem limitationem probamus per text. in tit. 26. §. licet Vasallus, & tit.

39. §. vlt. lib. 2. feud. Posteriorem non item. Tum quia Vasallus liberare dominum tenetur a corporis periculo, licet bellum iniustum contra aliquem suscitauerit, dominus, tit. 28. in prin. lib. eod. feud. Tum quia Vasallus dominum a morte liberare iubetur, tit. 39. §. vlt. libr. eod. Carcer autem & mors equiparantur, l. nec timorem, 7 §. 1. ff. Quod metus causa.

## CXXVII.

Quod si etiam Vasallus dominum suum ab hostibus captum non redemerit, feudum suum amittit.

Argumento Nouel. 115. cap. 3. Si vnum, iunct. tit. 24. §. praedictis modis, lib. 2. feud. Schrad. part 9. cap. 8.

## CXXIX.

Haecenus de culpa Vasalli, ob quam ipse feudum amittit: Sequitur modò, quibus ex causis amittat feudum absque sua culpa. Eiusmodi est causa euentus temporis, ad quod vsque feudum est concessum.

Tit. 2. in prin. lib. 1. feud.

## CXXXIX.

Est item huiusmodi causa voluntas domini post annum repetentis a Vasallo feudum guardiae, vel gastaldiae.

Dist. tit. 2. in prin. tit. 11. lib. eod. feud.

## CXXX.

His quoque causis connumeramus interitum rei feudalis. Est enim feudum simile vsufructui (a), qui perit, extincto corpore fructuario (b).

a) Tit. 23. §. vlt. vers. vsufructus, lib. 2. feud. (b) §. 1. & §. vlt. Instit. de vsufruct. & l. pen. C. d. t. Sic etiam tollitur emphyteusis, sublato corpore, ex quo debetur, l. 1. C. de iure emphyt.

## CXXXI.

Adiicimus quoque his causis refutationem feudi (a). Est autem refutare feudum, abdicare se feudo, siue feudum dimittere, atque illud vel domino (b) vel successoribus (c) feudi cedere.

a) Tit. 9. §. 1. lib. 2. feud. (b) d. tit. 9. §. 1. tit. 14. lib. eod. feud. Sed hic agnatorum consensus requiritur, si feudum sit paternum, tit. 39. libr. eod. (c), tit. 49. lib. eod.

## CXXXII.

Potest autem Vasallus refutare suum feudum domino etiam inuito (a), modò id faciat tempestiuè (b).

ggg 2

a) Tit. 38.

a) Tit. 38. vers. Et si voluerit, vbi Baro, & alij feudista, lib. 2. feud. Mynsing. cent. 5. obser. 65. Vult. lib. 1. de feud. cap. 10. nu. 76. vide etiam Mynsing. cent. 6. obseruat. 29. (b) Non quando ob prasens, vel imminens periculum dominus seruitijs indiget, aurea bulla Caroli IV. cap. von den/als vnwürdigen/ ihr Lehengut benommen werden/pag. 9. fac. 2. Mynsing. cent. 5. obseru. 6. num. 12.

## CXXXIII.

Similiter his adiungimus causas clericatum, & monachatum, si enim Vasallus efficiatur clericus, aut votum religionis assumat, hoc ipso feudum amittit.

Tit. 21. tit. 26. §. Qui clericus, tit. 30. tit. 36. vers. vlt. lib. 2. feud. tit. 109. in extraord. capit.

## CXXXIV.

Denique si Vasallus nullis relictis feudi successoribus moriatur, feudum finitur, & res feudalis pleno iure ad dominum reuertitur.

Tit. 5. §. Rursus, tit. 13. §. Et si clientulus, lib. 1. feud. tit. 9. §. 1. vers. Sin autē, tit. 12. tit. 18. lib. 2. feud.

## CXXXV.

Expositis amittendi feudi causis, dispiciendum nobis, vtrum ipso iure, an per iudicis sententiam feudum Vasallus ex causis illis amittat; Tum ad quem feudum ita amissum pertineat; Tum denique cuius sint fructus & meliorationes feudi amissi.

## CXXXVI.

Ad primam quod attinet quaestionem, pro generali tradunt regula Dd. ob culpam Vasalli ipso iure non amitti feudum, sed per iudicis sententiam priuantem.

Arg. tit. 21. in prin. lib. 1. feud. Schrad. part. 2. partis 9. principal. Rosenth. cap. 10. conclus. 108. Vult. lib. 1. de feud. cap. 11. nu. 59. Huius tamen regulae exceptiones quasdam tradunt, alij plures, alij pauciores.

## CXXXVII.

Existimamus autem ex omnibus ferè causis praedictis ipso iure absq; sententia priuante feudum amitti.

Tum quia in libris feudorum amissio feudi ipsis legitimis causis & modis adscribitur, non iudicis sententia, tit. 5. libr. 1. feud. tit. 24. libr. 2. feud. Tum quia cause & modi acquirendi, cum causis & modis amittendi eiusdem naturae & potestatis censerentur, ita vt illis ipso iure quid constituitur, ita & his ipso iure quid amittatur, vti arguit, tit. Instit. Quo. mod. re contrah. oblig. &

lig. & tit. Quib. mod. tollitur oblig. Sic certis modis ipso iure vsusfructus constituitur, absq; iudicis sententia, l. Si ego 11. § 1. ff. de pub. in rem act. Certis item modis ipso iure absque iudicis sententia idem amittitur, §. Finitur autem, Instit. de vsufruct. & tot. tit. ff. Quib. mod. vsufruct. vel vsus amitt. Similiter patria potestas certis modis ipso iure constituitur, puta iustis nuptiis, legitimatione, adoptione: Certis item modis ipso iure absq; iudicis priuante sententia soluitur, de quibus sub tit. Instit. quib. mod. patr. potest. sol. Quocirca cum causa & modi acquirendi feudum ipso iure, absq; iudicis sententia tribuant Vasallo feudum, tit. 1. §. vlt. tit. 11. in princ. libr. 2. feud. certè ipso quoque iure absq; iudicis priuante sententia ex legitima culpa feudum suum amittit Vasallus. Tum quia Vasallus generaliter ob culpam suam iustam à feudo cadere dicitur in tit. 24. §. Deniq; libr. 2. feud. Item dicitur ob suam culpam beneficio suo carere tit. 17. lib. 1. feud. verbum autem cadere, & verbum carere priuationem suam natura significant, Felin. ad c. Rodolphus, num. 24. circa fin. extra de rescript. Tum quia feudorum placita promiscuè vtuntur verbo amittat, & presentis temporis verbo amittit, tit. 24. libr. 2. feud. Indican ergo amissionem fieri ipso iure, Bald. ad l. 2. in addit. num. 7. C. de iure emphyt. Franc. Cremens. singul. 7. Tum etiam quia Vasallo feudum delinquente, ipsum feudum simpliciter & purè dicitur ad dominum vel agnatos pertinere, dict. tit. 24. §. Denique. & tit. 31. libr. 2. feud. Quæ autem nostra assertioni obstare videntur, refutata sunt prolixè in commentario Præsidis feudali.

## CXXXVIII.

Non solùm autem ipse Vasallus feudo sua ex culpa priuatur, sed & filij eius (a), nisi culpa in feudi alienatione illicita consistat (b).

a) Tit. 26. §. Si Vasallus culpam, & tit. 31. libr. 2. feud. Hartman. Pistor. libr. 2. quæst. iur. quæst. 16. (b) per text. in tit. 8. §. 1. & tit. 18. §. Si aliquis, vers. Et ipse heres, lib. 1. feud. Andr. Geil. lib. 2. obseruat. practic. obseruat. 50. num. 12. Alienatio enim per se delictum non est, sed est duntaxat delictum in feudo. Cetera culpa per se & vbiq; delicta sunt. Sed ab hoc altero membro thesios dissentiunt Hartman. Pistoris d. lib. 2. quæst. 17. num. vlt. & Vult. lib. 1. de feud. c. 11. num. 78. pag. 800. vers. Cum autem.

## CXXXIX.

Sed quæ causa sit, cur etiam filij ob patris culpam feudo priuantur, Dd. iudicia variant (a); Nos illis subscribendum putamus, qui existimant, ideo id fieri, quòd in liberis etiam paterni criminis exem-

ggg 3

plame-

pla metuuntur (b), utq; charitas liberorum parentes Vasallos dominis suis amiciores redderet (c).

a) De quibus Hartman. Pistor. lib. 2. quest. iur. quest. 16. nu. 16. & seqq. Ipse quidem Hartmannus arbitratur hanc esse causam, quod filijs censeatur concessum feudum contemplatione patris, quodq; beneficio patris filij etiã feudum habent, per text. in tit. 14. §. 2. lib. 1. feud. Sed quia & domini beneficio, & operã primi acquirentis comparatum est feudum etiam filijs, ceterisq; descendens masculis, certè isthac ratio ad auferendum filijs feudum sufficiens esse non potest, eò quod ius mihi acquisitum donatione Titij, delicto ipsius post commissio mihi eripi nequit, l. post contractum 15. (ubi pronisi legendum si, Cuiac, in lib. 12. Responsor. Papin. pag. 520.) l. Donatores 31. ff. de donat. l. si aliquis 7. ff. de mort. caus. donat. (b) arg. l. Quisquis 5. C. ad leg. Iul. maieft. (c) per ea quæ scribit Cic. ad Brutum, epist. 12. & Cont. ad d. l. 5. §. Paterno enim, C. ad l. Iul. maieft.

## C X L.

Quòd si autem feudum sit paternum, quod Vasalli culpa amissum est, ad dominum reuertitur, si culpa in ipsum dominum sit commissa: si in alium commissa sit culpa, ad cognatos Vasalli pertinet.

Tit. 24. §. Deniq; tit. 37. in prin. lib. 2. feud. Hartman. Pistor. lib. 2. quest. iur. quest. 15.

## C X L I.

Si ergo Vasallus contra suum dominum insidias posuerit, feudum ex hac culpa amissum ad dominum pertinet (a): ut & si concubuerit cum vxore domini sui, vel in pugna dominum dimiserit (b); aut absque domini consensu feudum alienauerit (c), vel debita seruitia requisitus ei non præstiterit (d): aut intra tempus legitimum inuestituram non petierit (e).

a) Dict. tit. 37. in prin. lib. 2. feud. c. Felicis, §. si qua verò, tit. de poenis in 6. & §. In quibusdam, §. Sacri. extra, eod. tit. (b) tit. 21. §. 1. lib. 1. feud. (c) tit. 5. in fin. & tit. & tit. 21. §. 1. lib. 1. feud. & tit. 24. in fin. tit. 38. tit. 44. tit. 55. in princ. vers. Callidis, ibi, Et ad dominum liberè reuertatur, lib. 2. feud. Hartman. Pistor. dict. lib. 2. quest. iur. quest. 17. (d) dict. tit. 55. §. Firmiter, lib. 2. feud. (e) tit. 55. §. præterea si quis, lib. 2. feud. Hartmann. Pistor. dict. lib. 2. quest. 18.

## C X L I I.

Quòd si verò Vasallus fratrem suum occiderit, aut fratris filium,  
tum feu-



tum feudum ex hac culpa amissum non ad dominum reuertitur, sed ad agnatos Vasalli pertinet.

*Dict. tit. 24. §. Denique, vers. Si verò non in dominum, & dict. tit. 97. lib. 2. feud.*

## CXLIII.

Sed quæritur, an feudum paternum, ex Vasalli culpa ad dominum reuersum, in perpetuum eius maneat, & heredum ipsius, an verò mortuo Vasallo delinquente ad agnatos pertineat? Posterius hoc iuri & æquitati propius esse remur.

*Per text. in tit. 40. §. vlt. lib. 2. feud. & in tit. 78. & tit. 98. in extraord. capit. quo posteriori loco negatio tollenda, vt post Cuiac. sentit etiam Hartman. Pistor. lib. 2. quæst. 15. nu. 45. Confirmat eadem hanc conclusionem nostram tex. in l. Peto 69. §. pradium. ff. de legat. 2. & l. 1. in prin. vers. Ipse tamē libertus, C. comm. de manumiss. Adde Hartman. Pistor. d. lib. 2. quæst. 15. num. 32. & seqq. & quæst. 16. num. 13. & seqq. qua posteriori questione de illicita feudi alienatione tractat.*

## CXLV.

Non modò autem quandiu viuit ipse Vasallus, qui in dominum deliquit, sed & quandiu filij ipsius, cæteriç; descendentes liberi masculi superstites sunt, dominus feudum retinet.

*Dict. tit. 78. & tit. 98. in Extraord. capit. c. Felicis, §. Si qua verò, iunct. §. seq. tit. de pœnis, in 6. & c. In quibusdam. §. sacri, extra, eod. tit. Hartman. Pistor. post alios dict. quæst. 15. nu. 46. vers. Deniq; ne autoritate. Vult. lib. 1. de feud. cap. 11. num. 71. pag. 789. in fin. & pag. seq. Ratio videtur esse hæc, quòd nec mortuo Vasallo agnati in feudum succedunt, donec filij ipsius Vasalli extant. tit. 11. in prin. vers. Filij enim. lib. 2. feud.*

## CXLV.

Et licet tale sit delictum Vasalli, ob quod bona eius publicanda sunt, & fisco inferenda, feudum tamen domino & agnatis relinquitur; nisi feudum sit hereditarium.

*Per l. status 48. §. vlt. ff. de iure fisci, & sentiunt ita communiter Dd. quos citant, & sequuntur Hartmann. Pistoris, dict. quæst. 15. nu. 7. & seq. & Vult. lib. 1. cap. 11. num. 116. vbi etiam de hereditario feudo agit.*

## CXLVI.

Sed in dubiū vocatur, vtrū proximi agnati ad feudū admittantur,  
an verò

an verò illi, qui gradu sunt quarto, vel vltiori? Posterius hoc licet vulgus Interpret. probet (a), verior tamen est sententia, gradu proximiores ad feudum admitti (b).

a) Per text. in tit. 26. §. Si Vasallus culpam. & tit. 31. lib. 2. feud. (b). tit. 24. §. Denique, vers. Si verò, ibi, non ad dominum, sed ad proximos pertinet. & tit. 37. ibi, ad agnatum proximiorum feudum pertinebit. lib. 2. feud. Hartman. Pistor. lib. 2. quest. 15. num. 12. & seqq. Vult. lib. 1. de feud. cap. 11. nu. 71. pag. 794.

## CXLVII.

Quod si nouum sit feudum, etsi mortuo Vasallo ad eius filios iure successionis pertineat (a), attamen si ex culpa Vasalli in dominum vel alium commissa, sit amissum, confestim ad dominum reuertitur, & penes eum, ac heredes ipsius perpetuò remanet, nec vnquam ad Vasalli delinquentis filios nisi ex gratia domini, reuertitur.

Per tit. 1. §. cum verò, libr. 1. feud. tit. 11. §. vlt. tit. 24. §. Denique, vers. Si verò, ibi, Si tamen beneficium fuerit paternum, tit. 18. tit. 26. in princ. lib. 2. feud.

## CXLVIII.

Alienatio tamen feudi etiam noui, nostro animo, filijs nihil præiudicat.

Per text. in tit. 8. §. 1. lib. 1. feud. Menoch. consil. 161. num. 17. Hartmann. Pistor. lib. 2. quest. iur. quest. 4. num. 7. & 64. & dict. quest. 13. num. 62. Accedit huc communis Interpret. sententia, quos longa serie recenset Hartman. Pistor. lib. 2. quest. 17. num. 1. & Vult. lib. 1. de feud. cap. 11. num. 78.

## CXLIX.

Quod attinet fructus feudi, distinguendum est inter fructus, quos Vasallus ante finitum feudum percepit, & eos, qui feudo finito vel percepti, vel nondum percepti sunt.

## CL.

Quos enim ante percepit retinet Vasallus, aut si mortuus sit, ad eius heredes pertinent, siquidem non feudaliū, sed allodialium bonorum iure censeantur.

Per text. in tit. 23. §. vltim. vers. vsus fructus verò, lib. 2. feud. & tit. 45. lib. eod. Hartman. Pistor. libr. 1. quest. iur. quest. 24. num. 38. Schrader. part. 2. partis 9. principal.

Fructus

## CLI.

Fruetus finito feudo perceptos vel nondum perceptos, sed adhuc ipsi corpori coherentes quod attinet, dispiciendum, an absq; Vasalli culpa feudum sit finitum, puta morte Vasalli, an verò Vasalli culpa sit amissum.

## CLII.

Priori casu si ante Martium mortuus fuerit Vasallus, omnes fructus illius anni ex feudo prouenientes ad dominum pertinebunt: Si post Kalendas Martij vsque ad Augustum, omnes fructus, qui interim percipiuntur, ad heredes Vasalli pertinent. Si verò post Augustum, omnes fructus anni dominus percipiet.

*Tit. 28. §. His consequenter, iunct. tit. 45. lib. 2. feud. Harman. Pistor. lib. 2. quest. 24. Matth. Coler. de process. execut. part. 2. cap. 3. Schrad. part. 2. part. 9. prin. Sect. 3. nu. 46. & seqq. obstat. l. Fructus 7. §. Diuortio. ff. solut. matrim.*

## CLIII.

Prædicta distinctio procedit quoque in fructibus ciuilibus, ut sunt mercedes locationis (a); tum etiam in censibus & redditibus annuis (b).

a) *Hartman. Pistor. dict. lib. 2. quest. 25. Henric. à Rosenthal cap. 10. conclus. 117.* (b) *Hartman. Pistor. d. lib. 2. quest. 24. num. 57. & seqq.*

## CLIV.

Quod dicitur de domino (a), id etiam exaudiendum de agnatis, si ad eos feudum confestim pertineat (b).

a) *In dict. tit. 28. §. His consequenter, lib. 2. feud. (b). dict. tit. 45. libr. eod. Hartman. Pistor. d. quest. 24. num. 50. Quidam tamen dissensiunt, quibus adhaeret Schrad. d. sect. 3. num. 82. & seqq.*

## CLV.

Quòd si culpâ Vasalli feudum sit amissum, fructus pendentes omnes vnâ cum ipso feudo ad dominum, si ad eum reuertatur feudum, vel agnatos Vasalli, si ad hos feudum confestim transeat, pertinent.

*Hartman. Pistor. d. quest. 24. nu. 53. Vult. lib. 1. de feud. cap. 11. nu. 112.*

## CLVI.

Fruetus quoque à tempore commissæ culpæ perceptos Vasallus restituere tenetur.

*Schrad. dict. part. 2. part. 9. princip. Sect. 3. num. 28. & seqq. Ratio huius enunciati hæc est, quòd culpâ sua Vasallus ipso iure feudum amittit, ut proinde confestim mala fidei sit possessor, qui nullos fructus suos facit, sed eos omnes*

b b b

domino

Q V A R T Æ C L A S S I S

domino restituere tenetur, l. domum 5. l. certum 22. C. de rei vind. §. Si quis à non domino, Instit. de rer. diuis. l. 3. C. de condit. ex leg.

CLVII.

Meliorationes feudi quod attinet, hinc similiter distinguendum est inter feudum absque culpa Vasalli amissum, & illud, quo Vasallus ob culpam est exutus. Si absq; sua culpa Vasallus feudo cecidit, meliorationes siue impensæ in rem feudalem factæ, lucro Vasalli aut heredum ipsius cedunt.

Tit. 28. §. Si Vasallus in feudo, lib. 2. feud. l. eum 7. C. de usufruct. l. Sed adde. 19. §. Si inquilinus ostium, l. dominus 55. §. 1. & l. pen in princ. ff. locati. l. Sed si vir 31. §. si vir vxori ff. de donat. inter vir, & vxor. l. Qui sciens 11. l. si in area, 16. C. de rei vind. l. Si in area 33. in fin. ff. de condit. ind. l. Paulus 29. §. pen ff. de pignorib.

CLVIII.

Quòd si tamen feudo quid adiectum sit, quod per se possit subsistere, id ad Vasallum, ve eius heredes pertinet.

Tit. 8. §. E contrario autem, lib. 2. feud.

CLIX.

Quas autem impensas, & quibus iuris remedijs seruare Vasallus, aut eius heres possit, patet ex his, quæ suprâ de impensis exposita sunt (a).

a) Disputat. 5. sub hac classe 4. Adde Rosenthal. c. 10. conclus. 123. & Vult. lib. 1. de feud. cap. 11. num. 113. in fin.

CLX.

Quòd si culpa sua Vasallus feudum amiserit, omnes meliorationes, domini aut agnati, ad quem feudum pertinet, lucro cedunt.

Per l. 2. vers. Sin autem nihil, C. de iure emphyteut. Nouel. 7. cap. 3. §. Scire autem, & ibi Cuiac. & Nouel. 120. cap. 8. & Auth. Qui rem, C. de SS. Eccles. Schrad. part. 2. partis 9. princip. Sect. 2. num. 16. & seqq. Rosenthal. dict. cap. 10. conclus. 121. & Vult. lib. 1. de feud. cap. 11. num. 114.

CLXI.

Neq; refert, parui aut magni sumptus in meliorationes illas sint facti.

Per d. l. 2. C. de iure emphyt. l. si is 13. §. vtrum, ff. de reb. dub. Guid. Papa. decis. 438. Schrad. d. part. 2. partis 9. principal. Sect. 2. nu. 17. & 18.

CLXII.

Est & illud hic monendum, quod feudum reuertitur ad dominum li-

num liberè (a), cum onera à Vasallo ei imposita, nihil domino præiudicent (b).

a) Tit. 55. §. Callidis, lib. 2. feud. (b). Tit. 8. §. Rei autem, vers. Quid ergo. lib. eod. l. si cuius 13. §. 4. ff. de usufruct. Iacobin. de S. Georg. Tract. de feud. in verb. Ita etiam quod ipsi, num. 10. Tiraquel. lib. 1. de retract. §. 1. gl. 14. num. 111. & seqq. & §. 34. nu. 7. & 8. & lib. 2. §. 3. gl. 1. nu. 13.

## CLXIII.

Hactenus de modis, quibus Vasallus feudum suum amittit: Restant modi, quibus ipse dominus ius suum in re feudali, puta proprietatem, & fidelitatem Vasalli, perdit.

## CLXIV.

Amittit autem dominus ius illud suum, vel ob culpam, vel sine culpa sua.

## CLXV.

Culpa, ob quam dominus ius suum amittit, est eadem illa culpa, ex qua Vasallus suo priuatur feudo, siue in Vasallum peccauerit, siue in alium.

Tit. 26. §. Domino committente, & tit. 47. lib. 2. feud. iunct. tit. 6. in fin. lib. eod. Ioan. Borcholt in comment. in vsus feud. cap. 8. num. 133. & seqq.

## CLXVI.

Absque sua culpa amittit dominus ius suum consolidatione, vt si dominus proprietatē rei feudalis Vasallo cedat, aut Vasallus rei feudalis libertati præscribat, veluti si domino seruitia debita triginta annis bona fide non præstiterit, Dominus autem seruitijs indiguerit (b).

a) Arg. Item finitur, Instir. de usufruct. l. Si tibi 17. l. Si seruus 27. ff. Quib. mod. vsusfruc. amitt. l. 3. §. pen. ff. vsusfruc. quemadmodū cau. (b). Cū enim 30. annorum præscriptione feudum adquiri possit. tit. 26. §. Si quis per triginta, lib. 2. feud. cur non eodem temporis spacio libertas prædij feudalis præscribi possit? arg. l. Nihil tam naturale 35. & l. Omnia 100. & l. Ferè quibuscunq. 153. ff. de reg. iur. Rosenthal. cap. 6. conclus. 156. & seq. Vult. lib. 1. de feud. cap. 10. num. 10.

## Additamenta.

## I.

**A**CRIS est inter Dd. (a) contentio, num Vasallus, qui sua ex culpa feudum amisit, si gratiam ei fecerit Princeps, & restituerit ipsum, (b) feudalia etiam bona recuperet? Nobis negantium sententia placeat (b).

bbb 2

a) Alij

Q V A R T Æ C L A S S I S

a) Alij affirmant, alij negant, quos collegit Schoner. lib. 1. disput. feudal. disput. vlt. ad thes. 71. (b). Restituit Princeps vel his verbis: Restituo te in integrum, vel simpliciter hoc modo: Restituo te, l. 1. & l. vlt. in fin. C. de sentent. pass. Et utroque casu plenissima, & latissima contingit restitutio, quæ & patriam potestatem, & cetera omnia reducit, l. 1. S. De qua autem, ff. de postuland. d. l. 1. l. 2. in fin. l. 4. l. 6. & l. 9. C. de sentent. pass. Quod si autem Princeps simpliciter erga condemnatum utatur indulgentia, nec usurpet verbum restituendi, tunc poenã tantum remittit, & deportato siue exuli reditum duntaxat tribuit, l. Generaliter 7. C. d. t. l. vlt. C. de generali abolit. C. l. 2. ibi, sine graui partis alterius dispendio. l. Rescripta 7. ibi, nisi forte sit aliquid, quod nõ ledat alium, & pro sit petenti, C. de precibus Imp. offer. l. 2. S. Merito, & l. Si quis à Principe ff. Ne quid in loco pub. l. nec auus 4. C. de emancipat. liber. & c. Quamuis, tit. de rescript. in 6. Andr. Geil. lib. 2. de pace pub. cap. 19. nu. 4. 9. & 11.

II.

Est & illa quæstio elegans, an dominus feudum ad se reuersum, si in alium rursus conferre id velit, consanguineis potius prioris Vassalli, intra annum, re integra petentibus illud, quàm extraneis concedere debeat? Et licet affirmata sententia communiter sit recepta (a) eam tamen quò minus amplecti possimus ipsis feudorum placitis mouemur (b).

a) Mynsinger. cent. 5. obser. 16. & cent. 6. obseruat. 79. Vult. libr. 1. de feud. cap. 11. num. vlt. Schoner. d. disputat. vlt. thes. vlt. (b). Per tex. in tit. 24. vers. Si autem dominus, lib. 1. feud. tit. 54. in fin. & tit. 55. S. Callidis, ibi, Et ad dominum liberè reuertatur. lib. 2. feud. Andr. Geil. lib. 2. obseruat. pract. obser. 148. num. 3. vers. Sed verior opinio est.

FINIS DISPUTATIONIS  
DECIMÆ OCTAVÆ

Ka 3071

(3/4)


ULB Halle 3  
003 261 573



sb

Burblind. 3/1.







putatio XVII.

IS AMITTENDI FEVDVM.

QVAM,

o clementer adiuuante,

PRÆSIDE

RISISSIMO ET

LTISSIMO VIRO,

HENRICO BOCERO, V. I.

ET ANTECESSORE, IN TV-

cademia celebratissimo, præceptore suo

honorando,

NARI EXERCITII

(sa, hora locog, consuetis, discutiendam

proponit

CHAE L BERINGER

Ulbachensis, Hebrææ linguæ

Professor.



TVBINGÆ,

Georgius Gruppenbachius.

ANNO M. DC.

bbb

